a

NAZIONALE
8
13 — C
33
VITT. EMANUELE
ROMA

VIII 6 64

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
CONTROVERSIIS
CHRISTIANÆ FIDEI

Adverſus noſtrorum temporum Hæreticos

AUCTORE

JOSEPHO MARIA CALISTI GONSALEZ

D. C.

Eminentiſs. & Reverendiſs. Domino

ALBARO CIENFUEGOS

S. R. E. Tit. S. Bartholomæi in Insula

PRESBYTERO CARDINALI,

Civitatis Montis-Regalis Archiepiſcopo, & Domino,
Comprotectori Germaniæ, Sacræ Cæſareæ, ac
Catholicæ Majeſtatis intimo Conſiliario,
& Miniſtro Plenipotentiario apud
Sanctam Sedem Apoſtolicam.

De Cultu Sanctarum Reliquiarum.

HIC LIBER EST
CONTUS IESU MARIAE
FF. EREM. EXCAL.
S. AUG.

Romæ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXX.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſsime PRINCEPS

COgitanti lucubratiunculam hanc in defenſionem Cultus, qui ritè Sanctorum Reliquiis defertur, publicum facere: non contemnendum, ut arbitror, mihi oc-

Digitized by Google

currit conſilium, ut te, Eminentiſſime Princeps, in Patronum aſſumerem. Inter Servos adſcriptus tuos, & Servi Opera tibi tanquam Domino deberi profiteor. Sub tuis auſpiciis, meæ tenuitatis labor, non tam lucem, quam augumentum recipiet. Opus, quod ex nudo Authoris nomine vileſceret, ſub tanti Protectoris omine, grande ſibi auſpicatur emolumentum. Cui autem dicari deberet, niſi tibi Sacrarum Artium, non fautori dumtaxat, ſed veterano Magiſtro? Percelebrem Salmantinam Accade-

miam

Digitized by Google

miam Judicem appello, quæ te per tot luſtra edocentem complexata fuit, & avidè retinuit. Sed auguſtior Chriſtiani Orbis Pars, tui celebritati Nominis, anguſtus locus evaſit. Egreſſus de Cognatione tua, non ſat tibi fuit gloriam Gentis tuæ adipiſci, ac in Patria floruiſſe, ſed ubique gentium Liberalitatis ſigna reliquiſti, Sapientiæ monumenta aperuiſti, Æquitatis, ac Prudentiæ ſemitam docuiſti. Appoſitè, quod de Nanzianzeno retulit Macrina Soror, de te, EMINENTISSIME PRINCEPS, dici poteſt: Tu Civitatibus, Populis,

Apud Chriſtianum Lupum tom. 6. Epiſt. Dedicat.

lis, Nationibus celebris es: te ad ferendum auxilium, te ad res conſtituendas, Eccleſiæ vocant, & mittunt. *Germaniæ Regiones penetraſti, ut Sapientiæ tuæ radios undequaque diffunderes, Principibus admirationi eſſes, & qui Clavum tenet Imperii, te in arduis Conſiliarium, ac fideliſſimum Executorem haberet. Quæ apud exteras ſparſerat fama Nationes, in te vera eſſe Roma comprobavit, & major apparuit Sapientia, quam rumor, quem audivit. Præeunte merito, Purpuratorum ampliſſimum Sena-*

tum

Digitized by Google

tum ingreſſus, illicò oſtendiſti, quod advertit Boetius: Si quando Probis honores deferantur, quid in eis aliud, quam probitas utentium placet? Ita fit, ut non Virtutibus ex dignitate, ſed ex Virtute dignitatibus honor accedat. *Acceſſit Dignitas ad Virtutem, quæ nihil imminuta eſt per Dignitatem, ſed Dignitas eminentior inventa fuit per tuam Virtutem. Honoris gradus videris aſcendiſſe, non ut præeſſes, ſed ut omnibus prodeſſes. Auctus externis bonis, quæ olim reliqueras, ut Deo liberius viveres in Inclita*

De conſolat. Philoſ. lib. 2. proſa 6.

So-

Societate Jeſu, eadem apud te non ſinis remanere, ſed in alios largiter effundis: Divitiæ enim, ut dixit quidam, effundendo magis, quam coacervando melius nitent: ſiquidem avaritia ſemper odioſos, claros largitas facit. *Hujus Chriſtianæ largitatis ſplendore adeò celebraris, ut meritò Pater Pauperum nomineris, & ſis. Quis inopia preſſus, apud te,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *ſolamen quæſivit, & non invenit? Aurum quod tibi ex Eccleſiaſticis proventibus redditur, pretioſius eſt, quia translatum in*

Boet. de conſolat. Philoſoph. lib. 2. proſa 5.

Pau-

Digitized by Google

Pauperes, largiendi uſu, deſinit poſſideri, immò nobilius poſſidetur; quia, nè te poſſideat, egenorum efficis Patrimonium: Evangelicæ admonitionis non immemor; ut theſaurizemus nobis Theſauros in Cœlo; non abſcondis pecuniam Domini tui, ſed reddis quodam ſacro fœnore auctam, dum largiter diſtribuis; caducas rerum mundanarum facultates in ſempiternas Cœleſtium poſſeſſionum opes conferre, non tam didiciſti, quam alios docuiſti, facto indicans quid ſit peragendum ab his, qui aliis

an-

Digitized by Google

antiſtant Dignitate, quos, Salviano teſte, tantum excellere oportet merito, quantum gradu. *Nullus ſatis tuam commendare poterit integritatem, Juſtitiæ zelum, Pietatis viſcera. Facultates non auxiſti, ſed lubenti animo minuiſti, nè Chriſti Pauperibus ſubſidia deſint, & ut cuncti ex te habeant non habentes. Modeſtiſſimi Animi indignationem incurrere calamus pertimeſcit, vel leviter ſubſignando Opera, quæ te clariorem prædicant, cum ea præſtantiſſimi hominis indoles ſit, ora hominum con-*

Salvian. de Avarit. lib. 2.

temne-

Digitized by Google

temnere, ut illum habeat probantem, qui abundè donavit. Verumtamen libenter calamum à tuis laudibus cobibeo, ut majori laude dignus appareas, quando refugis laudari. Nè cobibeas quæſo, EMINENTISSIME PRINCEPS, tuæ Protectionis ſuffragium erga hujus Operis Scriptorem, qui minimus, maximum, quod tibi debetur, conteſtatur obſequium. Scripta hæc, quæ minora fiunt per nomen Auctoris, magna erunt Protectoris beneficio.

E. V.

Humillimus, Addictiſs. & Obſequioſiſs. Servus
Joſeph Maria Caliſti Gonſalez.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſt. Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIONES

EX commiſſione R̃mi Patris Fr. Jo. Benedicti Zuanelli Apoſtolici Palatii Magiſtri, vidi, & accuratè legi tractatum, cujus titulus eſt: *De Controverſiis Chriſtianæ Fidei adverſus noſtrorum temporum Hæreticos &c. Tomus Primus: de Cultu Sanctarum Reliquiarum.* Opus reverà ſuo Auctore Illm̃o D. Joſepho Caliſti Gonſalez dignum, pium laborem laudo, exactum ordinem miror, uſu verò Sacrarum Scripturarum, & Sanctorum antiquorum Patrum, maximè delector. Omnes hujus tractatus lineæ ſunt vetuſtate nobiles, & novitate felices, ad profectum Hæreticorum cuncta tendunt, & ad bonam mentem non quæritur plauſus; licèt etenim Heterodoxos de mendacio, & audacia contrà Sanctos Patres, & univerſam antiquitatem ſæ-

ſæpiſſimè convincant, rationibus, & non dicteriis vicem Hæreticis reddit, quià modeſtia Chriſtiani Catholici Scriptoris vincere ſcit, hoſtis eſſe neſcit, nec vincitur à malo, ſed vincit in bono malum. Nihil denique Fidei, aut bonis moribus contrarium in hoc Tractatu inveni, imò omnia ad reductionem Hæreticorum viam regiam ſternunt: ideoque Typis mandari poſſe cenſeo.

Datum Romæ è Conventu Sanctæ Mariæ ſupra Minervam Ordinis Prædicatorum de Urbe die 20. Maii 1729.

F. Bernardinus Membrive Ord. Prædicatorum, Magiſter Provincialis Scotiæ, Prædicator Regis Catholici, Inquiſitionis Generalis Hiſpan. Cenſor, Jacobi III. Magnæ Britaniæ Regis Theologus, & Sac. Rituum Congregationis Conſultor.

JUſſu Reverendiſſimi Patris Jo: Benedicti Zuanelli Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri, Opus cui titulus: *De Controverſiis Chriſtianæ Fidei adverſus noſtrorum temporum Hæreticos &c. Tomus Primus: de Cultu Sanctarum Reliquiarum* attentè perlegi: Auctore Illuſtriſs. D. Joſepho Caliſti Gonſalez. Votum Auctoris, qui Heterodoxos ad Unitatem Fidei Catholicæ ſuaviter revocare conatur, ſine fructu, ac irri-

irritum non crederem, dum Majorum noſtrorum ſemitam, eis abundè demonſtrat, & quam longè ab illa declinaverint, apertè manifeſtat. Publici ergo Juris fieri cenſeo, nihil enim Fidei, aut bonis moribus diſſonum inveni, immò multa, quæ laudem promerentur, ſed cum Auctor pluries me dignatus eſt docentem audire, & inter meos voluerit adſcribi Diſcipulos, ab alienis laudari potius deſidero, quod futurum ſpero dum opus lucem aſpexerit.

Datum Romæ è Seminario S. Pancratii Carmelitarum Excalceatorum die 13. Julii 1729.

F. Maurus ab Annunciatione Carmelita Excalceatus Controverſiarum Prælector.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

IN-

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM. pag. 12

CAPUT II.

Majorum noſtrorum exempla, qui piè, & religioſè Sanctorum Exuvias, & Cineres coluerunt, proponuntur. pag. 17

CAPUT III.

Miracula ex Reliquiis Sanctorum operata, referuntur. 25

PARS ALTERA.

CAPUT PRIMUM.

Quæ antiqui Hæretici contra Cultum dixere, refelluntur. 39

CAPUT II.

Quæ proponuntur à Witcleph *contra Martyrum Reliquias, rejiciuntur.* 47

CAPUT III.

Ex occultatione Corporis, ac Sepulturæ Moyſis, non infertur, Sanctorum Reliquias non eſſe honorandas. 58

CA-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM CATHOLICUM.

DOCTISSIMI, qui ſunt inter nos, cum plura ediderint Volumina in defenſionem Fidei Catholicæ contra vigentes temporum noſtrorum hæreſes, ſuperfluum tibi videri poterit, amice Lector, præſens tibi Opuſculum offerre ad perlegendum, ſelectiora habens, quibus abundè delecteris. Hoc diù me deterruit, nè publici juris facerem quales quales labores meos; ſed cum adhuc qui ex adverſo ſtant contra nos errandi finem non imponant, novaque in dies moliantur, obſequii debitum judicavi erga Sanctos noſtros, qui eam, quam, Deo miſerente, Fidem tenemus, proprio ſanguine conteſtati ſunt, eorum Reliquias religioſo Cultu à nobis ſervatas, à calumniis vindicare. Ab innumeris ferè periculis Animæ, Corporiſque, Sanctorum interceſſionibus liberatus, grati animi eſt, reddere pro viribus totum quod poteſt, etſi non omne quod debet.

Digitized by Google

Methodum Theologis noſtris conſuetam non ſervavi, provocando primò Adverſarios per Scripturarum teſtimonia, ſed per eos ſermones, quos Scholaſtici appellant Congruentias, Patrum quidem authoritate firmatas, & ſupernis ſignis, vel ex Sacris Litteris deſumptis, aliiſque monumentis munitas. Si quis prætermiſſæ methodi (non defuerunt etenim, qui me amicè reprehenderent) cauſam ſciſcitetur, eam, quam ex Tertullianicis præſcriptionibus didici, reddere non erubeſcam: *Iſta hæreſis* (Luthero-Calviniana, quæ Sanctorum detrahit Reliquiis) *non recipit quaſdam Scripturas: & ſi quas recipit, non recipit integras: adjectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem Inſtituti ſui intervertit: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit; Tantùm veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantùm & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones neceſſariò nolunt cognoſcere ea, per quæ revincuntur. His nituntur, quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt. Quid promovebis exercitatiſſime Scripturarum, cum ſi quid defenderis negetur: ex diverſo ſi quid negaveris defendatur? Et tu quidem nihil perdes, niſi vocem in contentione: nihil conſequeris niſi bilem de blaſphematione.* Juxta ergo Tertulliani conſilium, totum ne perderem, & aliquid conſequi poſſem, primò paulatìm perſtringo heterodoxos ex illa conjunctione, quæ Corpus inter, & Animam reperitur, quamve fatentur omnes, quos contrarios ſuſtinemus. Quid quid honoris Corpori redditur propter Animam deberi non inficiantur: quod abſque ambiguitate conceditur aſſumpſi ad ulteriora probanda, nè ſubitò haberem hoſtes negantes, vel affirmantes cum adjectionibus,

De Præſcrip. Cap. 18.

bus, & ſubtractionibus. Hoc ſi tibi non arriſerit arguendi genus, Catholice Lector, adverte cum modernis Novatoribus, quos pinxit Tertullianus, mihi ineundum eſſe certamen. Prætergreſſus ſum ordinem, quia illi abſque ordine affirmant, negant, adjiciunt, detrahunt ad propoſitum Inſtituti ſui. Itaque ſi ad extrema me declinaſſe diſpliceat, hoc me feciſſe fateor, ut errantes reducerem ad medium. Fortaſſis in altera parte Operis ultra, quàm par erat me permiſiſſe heterodoxis cauſaberis. At quæ, ſalvo Fidei Sacramento, ac Catholicæ Eccleſiæ regulis permitti poſſunt, non renuo, dummodo nobis veritas adjudicetur, & ab illa receſſiſſe cognoſcant hæretici, etiam ex propriis, quæ affirmant, & intelligant uti monebat Tertullianus: ſine Scripturis ad Scripturas non pertinere. *De Præſcrip. Cap. 37.* Si quæ autem alia ſint quæ tuos offendant oculos in nimio uſu argumenti, quod ad hominem vocant, vel in remiſſo ſtylo, aut in calamo in hoſtes Eccleſiæ non acuto, humanitatis tuæ ſenſum expecto ad veniam, & ſequens pagina indicabit unicè me deſiderare, ut in ſpiritu lenitatis, quos patimur Inimicos, habeamus Amicos, & qui exierunt à nobis, iterum credentes ad nos revertantur. Vale.

Digitized by Google

ADMONITIO

AD HETERODOXOS

Qua ipſis Authoris intentio manifeſtatur.

MORE Majorum noſtrorum, qui in conſcribendis Voluminibus ſuum aperuerunt ſenſum, ac intentionem propalarunt, qui finis, quæve intentio mea ſit vobis aperiendum cenſeo ò heterodoxi. Sacratiora Fidei noſtræ Myſteria, quæ impugnaſtis, defenſare opus non aſſumpſi, id quod primò erat fortaſſis amplectendum, ordine inverſo ſervans in fine, ac in principio diſſerens de his, quæ laborum metam pertingere deberent. Ea tamen prætermiſſi ordinis inſpectio fuit, ut vobis conſulerem. Rei læſæ Majeſtatis Divinæ ob tot hæreſes jam olim ſepultas, quas renovaſtis, nè omnis ſpes veniæ vobis interclusa maneret, propoſui primum pacem cum Amicis Dei, ut ſubmota Juſtorum perſequutione Interceſſores apud Tronum Clementiæ habeatis. Qui Terreni Regis indignationem timet, quæritat Amicos, reconciliationis gratiam impetraturos. Immortalis Regis qui offenderit Majeſtatem, congruum eſt, ut adhibeat eos, qui conſumato agone Deo finaliter placuerunt. Sic ſtetit Moyſes pro Populo, qui graviſſimè deliquerat, ſic Abraham, ſic Jeremias. Peccaſtis, impiè Unitatem Eccleſiæ ſcidiſtis, Deum blaſphemaſtis, ſuſdeque omnia vertiſtis, indecora de Incar-

Digitized by Google

carnationis Myſterio obloquuti, homines ad omne vitiorum genus provocaſtis, fatalem neceſſitatem inducentes, Deum ipſum Authorem peccati dixiſtis, bonis operibus de medio ſublatis, ac quæ Divini erga nos Amoris pignus ſunt, nonnullis Sacramentis proſcriptis, ſervitutem peccati, libertatem Filiorum Dei prædicare non timuiſtis, inde acuentes linguas veſtras cætui Presbyterorum, Monachorum, Virginum detraxiſtis, ac detrahere quotidiè non ceſſatis, Eccleſiaſticam Hierarchiam totam conculcaſtis, Eccleſiam Purgantem negaſtis, Triumphanti invidiſtis, reprobato quocumque Cultu, qui Civibus illius à nobis religiosè impenditur. Hanc errorum veſtrorum abyſſum conſiderans, qui veſtræ Converſionis amantiſſimus ſum, cogitavi prius oſtendere qualiter Sanctos veneremur, eorumque Cineres, ac pretioſas Reliquias exiſtimemus, ut hac veritate à vobis inſpecta deſiſtatis bellum inferre Sanctis noſtris; Arbitror enim vos facilè aliis erroribus ceſſuros, ſi huic uni contra Sanctorum Cultum vale dixeritis. Cohors enim Divorum, quæ modo contra vos eſt pro vobis erit, reddet vobis Dominus, Sanctis intercedentibus, illud lumen, quo juſtiſſimè privati eſtis, ut cognoſcatis, quæ ſit ſemita veritatis: *Hæc dicit Dominus ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de Semitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium Animabus veſtris.* Refrigerium hoc vobis ex corde optans, nè diù erretis in invio, Semitam Antiquorum manifeſtavi, acquieſcere veritati admonui unico propoſito diſſenſionis capite inter nos, & vos de Reliquiis Sanctorum venerandis. Hæc ſcribendi intentio fuit, ut cognoſcentes in hoc uno vos erraſſe, & in aliis à *Jerem. 6.*

ve-

Digitized by Google

veritate receſſiſſe demonſtrem. Abſit à me in ſcribendo, vel plauſum hominum quærere, vel honoris faſtigium, vel inter Doctos adnumerari: hæc quæritent alii, ego autem quæro vos, ut reddam Deo, & veritati ex qua excidiſtis. Vilis, & contemptus ſim apud omnes homines, deſpiciar à vobis in hoc opuſculo, dummodò vel unus cognita veritate redeat ad Unitatem ſatis habeo. Si quis alio fine hæc me typis mandaſſe dixerit, Apoſtolicæ manſuetudinis non oblitus, tacebo lubenti animo, ſi conteſtatus fuerit me veritati adhæſiſſe, & ille adhærere non recuſaverit. Hoc volo, hoc cupio, hoc me impellit ad ſcribendum, ut diſcatis acquieſcere veritati, nec amplius quærentes mendacium diligatis vanitatem. Dura neceſſitas eſt neſcire cor alterius, dixit olim Auguſtinus; Fortaſſis, quia cordis mei ſenſum penetrare nequitis amplecti veritatem detrectatis? Cor meum patet ad vos ò Calviniani, iterum clamo, Deum teſtem invocans in Animam meam, volo vos, quæro vos, non veſtra, non hominum plauſum, non honores, non divitias, iterum regnet in corde veſtro Catholica Fides, & dicam
Ad Philip. 4. vobis cum Apoſtolo: *Gaudium meum, & corona mea vos eſtis in Domino*: addam honor meus, divitiæ meæ. Si illud vas electionis Paulus continuò angebatur, & cupiebat anathema eſſe pro Filiis Iſrael, ut pervenirent ad Legem Evangelii, quis ſeriò conſiderans miſerrimum Animarum veſtrarum diſcrimen, non clamabit ex corde, ut fugiatis à ſuperventura ira? Quis ſine dolore poterit ſuſtinere, ut Calvino è Cœlo cadente, ferè tertia pars Stellarum in profundum Abyſſi pertrahatur? Conſignati per Lavacrum Regenerationis Membra Chriſti, quis ferat, ut portetis characterem Beſtiæ Inferorum,

Digitized by Google

rum, & bibatis Calicem Dæmoniorum, qui bibiſtis per Baptiſmum Calicem Domini? Sit una Fides, ſicuti unum eſt Baptiſma. Sit finis meus in ſcribendo adducere vos ad veritatem, avertere vos à vanitate. Sit intentio veſtra in legendo converti ad veritatem; Hanc vos amare, ſi gloriamini, quare nobis conjungi retardatis? Satis admirari non poſſum vos ſemper jactitare amorem veritatis, nihilque vobis illa moleſtius eſſe. Omnia comprobari vultis per Dei verbum ſcriptum, tradito amandato: Si autem inſurrexerimus per teſtimonia Scripturarum, illicò ad interpretationes à Spiritu Veritatis omninò alienas, communi Patrum ſenſui contrarias confugitis, neſcientes quod olim dixit Auguſtinus: *Omnia Divina Eloquia ſalubria ſunt intelligentibus, periculoſa verò his, qui ea volunt ad ſui cordis perverſitatem detorquere potius, quam ſuum cor ad eorum rectitudinem corrigere: hæc eſt in hominibus magna, & uſitata perverſitas, quia cum debeant vivere ipſi ſecundum voluntatem Dei, Deum volunt vivere ſecundum voluntatem ſuam, & cum ipſi nolunt corrigi, illum volunt depravari, rectum non arbitrantes, quod ille vult, ſed quod ipſi volunt.* Eccleſia Catholica Clavem Scripturarum poſſidet, illa vos edoceat, quomodo intelligendæ ſint Scripturæ, quid amplectendum, & ſi ſcriptis non mandatum, auribus tamen Apoſtolorum traditum ab omnium Redemptore Chriſto. Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Siſtite jam ſatis eſt, per duo integra Sæcula erraſtis, in tertio revertimini, mendacium deſerentes, veritatem amplectentes. Unus ex veſtris Matthæus Prætorius Mamela Pruſſus ſuaſit in tuba Pacis unionem, reſponſum dedit Wenceslaus

Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 48.

à San-

Digitized by Google

Vide Wenceſlaum à S. Elia Carmelita Excalceat. in Echo Salutis.

à Sancto Elia in Echo Salutis æternæ, ſinum Eccleſiæ Matris vobis apertum demonſtrans, ut iterum recipiat, dummodo captivetis intellectum veſtrum in obſequium Fidei. Iterum ergo rogo vos, ut deponatis magnam illam perverſitatem ab Auguſtino indicatam, qua vultis vivere ſecundum voluntatem veſtram. Vos Eccleſiæ ſubjici debetis, non ipſa vobis. Quæ dixerit vobis ſervate, & facite, & Pax facta eſt, totumque diſſenſionis caput ſubmotum; In corde veſtro cuſtodiatur, quod Fulgentius Ruſpenſis admonuit: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum, ſive Schiſmaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicæ non fuerit aggregatus quantaſcunque Eleemoſynas fecerit, & ſi pro Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſalvari.* Extra Eccleſiæ fines per hæreſim facti certa eſt perditio, niſi reverſi fueritis; Quos ſequuti eſtis impii Hæreſiarchæ jam pœnas ſuſtinent in igne ineſtinguibili, quia divulſi ab Eccleſia, quæ una eſt, nec patitur diviſionem. Propter modicum corruptibilis vitæ, quæ quotidiè ſicut aqua non revertens elabitur, æternæ ſalutis negotium exponere ſumma fatuitas eſt. Si velitis vera narrare, injuſtam diviſionis veſtræ cauſam, & vos ipſi cognoſcitis: hoc lumen, quod in vobis eſſe non ambigo, tandem operetur, ut redeatis ad Matrem, quæ vos exoptat, quæ clamat, ut iterum pariat. Quanta erit exultatio Filiorum, ſi viderint numerum Fratrum augeri, & quos hucuſque adverſos ſuſtinuerunt, recipiant Amicos eodem glutino charitatis denuò conjunctos in veritate Fidei certantes in Terris, ut coronemur in Cœlis. Quale gaudium cordi meo, ſi hanc Lucubratiunculam le-

Apud Auguſtin. de Fide ad Petrum.

Digitized by Google

legentes inceperint noviſſima providere, propriæ ſaluti conſulere, & veterem hominem deponere. Utinam votum hoc meum impleatur. Non vobis diſpliceat homo, qui ex hac Urbe noſtra Romana veſtræ ſalutis amore unicè ducitur ad ſcribendum; Sint vobis in contemptum Mænia, ac Edificia Civitatis, non iraſcor, ſed Romanæ Eccleſiæ Fides ſit in ore, ſit in corde. Mementote quid de ea ſcripſerit Tertullianus: *Habes Romam, ubi nobis quoque Authoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia, cui totam Doctrinam Apoſtoli cum Sanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apoſtolus Joannes poſtea quam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Videamas quid dixerit, quid docuerit.* Quod Tertullianus antiquis hæreticis, hoc vobis ſuadeo, ut quid Romana Eccleſia dicat, quid doceat attendatis, cum Doctrinæ pignus ſibi ab Apoſtolis traditum illibatè cuſtodierit. Quotquot illi adhærent ut Filii recenſentur, qui repugnant ut alieni judicantur. Ipſa poteſt in ſpiritu, & veritate cum eodem Tertulliano clamare: *Mea eſt Poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis Authoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum. Sicut caverunt Teſtamento ſuo, ſicut Fidei commiſerunt, ſicut adjuraverunt, ita teneo.* Vos certè exhæredaverunt ſemper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. Undè autem extranei, & inimici Apoſtolis hæretici, niſi ex diverſitate Doctrinæ, quam unuſquiſque de ſuo arbitrio adverſus Apoſtolos, aut protulit, aut recepit? Abjicite itaque quod ex veſtro arbitrio adverſus Romanam Catholicam Eccleſiam protuliſtis hucuſque, & recepiſtis, & una mecum infallibili ejus

Tertullian. de præſcr. Cap. 36.

Idem Cap. 37.

Digitized by Google

Judicio vos ſubmittere non renuatis, ut veniens Jeſus Chriſtus Dominus noſter inter Filios Eccleſiæ Romanæ, Sponſæ ſuæ, Matris noſtræ adnumerans, reddat Patri in perpetuum regnaturos.

Et quia vobis moleſtum eſſe intellexi in Scriptis Catholicorum verborum aculeum invenire, calamum cohibui quantùm ſat fuit: veruntamen ſi linguæ lapſum offenderitis, cordis nè crediderítis. Aliquando veſtræ ſalutis zelo permotus extra manſuetudinis limites videor efferri, ſed ſi verba ad trutinam intentionis revocaveritis, vobis diſplicere non poterunt, cum eò directa ſint, ut removeatur error, non ut perſona lædatur. Adhuc tamen excuſandi ſunt Scriptores noſtri, ſi aliquo acumine uſi veſtras refellentes hæreſes. Obſecrandi quidem ſunt delinquentes, ſed etiam increpandi, ut cognoſcant deliquiſſe. Majorum exempla non profero, Tertulliani, videlicet, Athanaſii, Hilarii, ac Hieronymi, qui hæreſes profligantes, ſicuti in rebus, ita in verbis fortes apparuerunt. Duriuſcula verba ceſſabunt, ſi ab erroribus ceſſare inceperitis, & cum vos antiquæ hæreſi vale dicturos ſperem, duriorem, ſi fortè in hoc opere inveniatur, retracto ſermonem, mitiorem amplector, quo moveamini probare vera, falſa devitare.

CUL-

Digitized by Google

CULTUS
SANCTARUM RELIQUIARUM
A Modernorum Hæreticorum Calumniis
VINDICATUS.

USITATISSIMUM fuit Majoribus noſtris, Sanctorum Cineres venerari. Optimè noverant dignos obſequio illos, qui decertaſſent uſque ad ſanguinis effuſionem pro Domino Deo Exercituum, vel in Sanctitate, & Juſtitia perſeveraſſent in ſemel accepta Juſtificationis gratia, vel ſi deliquiſſent aliquando, per lamenta pœnitentiæ reſurrexiſſent majora repetentes certamina per multiplicia virtutum opera. Et quia ad conſolationem noſtram relicta ſunt inſtrumenta paſſionis Martyrum, vel Corpora ipſa Sanctorum, olim intimè conjuncta Animæ, quæ finaliter extitit habitaculum Spiritus Sancti: in honore haberi, & ipſa Corpora ſpecialique Cultu venerari abſque Idololatriæ labe profitemur.

Digitized by Google

Aſſumptum oſtendam in prima Parte Operis ex conjunctione illa, quæ reperitur inter Animam, & Corpus,ex Majorum noſtrorum iteratis exemplis, ac demum ex Miraculis, quæ ex prædicta veneratione facta perleguntur.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

INFICIARI nequeunt Adverſarii noſtri Corpus dignum obſequio, vel vituperio ex conjunctione ad Animam, quæ vel laudabiliter, vel malè in Corpore, & per Corpus operata eſt. Corpus ad Hominis naturam pertinere omnibus notum arbitror, nec aliquid extrinſecum adveniens eſſe, ſed intrinſecum, maximèque ad illam ſpectans, quare in bonis particeps, vel in malis juxta menſuram operum Animæ quiſque cordatus judicabit. Ex hac partium communione vera edocet Fides, quod gloria Animæ in Cœlis redundabit in Corpus, & ille ignis, qui mirabiliter cruciat ſpiritus, pertranſiet ſtatuto tempore ad torquendum Corpora. In qualibet benè inſtituta Republica conſpicimus ob perpetrata ſcelera cruciari Corpora uſque ad exitum Animæ, & poſt mortem ipſam juxta qualitatem delictorum, mortuorum cadavera magis, minuſve, opprobriorum notis conſignari. Si verò laudabiliter vixerit Homo, & pro Republcia ſtrenuè laboraverit, honores indicuntur, ac penſatis meritis decernitur, qualiter honorari debeat. Hinc non ea-

Digitized by Google

eadem pompa funeris eſt Militis , ac Ducis , Ducis , & Regis , quia non eadem utrorumque conditio fuit dum viverent : & quamvis demortui Militis, & Regis cadaver exanime ſit , tamen , quia inſpicitur Regis cadaver , ut extitit aliquando ſub dignitate , plus confertur honoris mortuo Regi , quam Militi . Hæc , quæ in mortuorum corporibus civiliter impleri videmus , cur transferri ritu ſacro ad Sanctorum Corpora prohibemur ? Libet cum Auguſtino reponere : *Nec ideò tamen contemnenda ſunt corpora defunctorum , maximè Juſtorum , atque Fidelium , quibus tanquam organis , & vaſis ad omnia opera Sanctus eſt uſus Spiritus . Si enim paterna veſtis , & annulus , ac ſi quid hujuſmodi tantò carius eſt poſteris , quantò erga Parentes major extitit affectus , nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora , quæ utique multò familiarius , atque conjunctius , quam quælibet indumenta geſtamus ; hæc enim non ad ornamentum , vel adjutorium , quod exhibetur extrinſecus , ſed ad ipſam naturam hominis pertinent : undè , & antiquorum Juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt , & exequiæ celebratæ , & ſepultura proviſa , ipſique dum viverent de ſepeliendis , vel transferendis ſuis corporibus Filiis mandaverunt* . Vide unde oriatur cultus, qui jure ex Auguſtino defertur Sanctorum Reliquiis , & Corporibus , quia aliquando tanquam organis eis Sanctus eſt uſus Spiritus , eò ferè modo , quo Reſpublica civibus utendo ſuis , civili arbitratur dignos honore , ſic ſupernæ Hieruſalem adſcriptos Sacro veneramur obſequio .

Lib. 1. de Civit. Dei Cap. 13.

Tetigit hoc mirabiliter Apoſtolus quando dixit: *An neſcitis quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus Sancti , qui in vobis eſt , quem habetis à Deo ?* Et iterum : *Neſcitis quoniam Corpora veſtra membra ſunt Chriſti* ; & cap. 3. *Neſcitis , quia Templum Dei eſtis,*

Prima ad Corinth. 6. 19. 15.

eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit diſperdet illum Deus: Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos. Propriè S. Spiritus in Juſtorum Animabus dicitur habitare, ſed ex vi neceſſitudinis, ac conjunctionis cum Anima, & Corpora ipſa habitaculum ſunt Spiritus Sancti.

Apud barbaras gentes, quali in veneratione forent Templa falſis Numinibus dicata, vel leviſſimæ litteraturæ Homo noverit: ſi titulum quæramus, non alius profectò erit, quàm quia putaverint ibi adfuiſſe Jovem, Martem, alioſque, quos ſibi fingebat inanes Deos cæca gentilitas. Hinc vero Numini extructo Templo per Salomonem, qui refulſerit cultus apertè demonſtratur ex libris Regum, & Paralipomenon. Si in manufactis Templis non damnatur Cultus, non eſt cur reprobetur in Corporibus Sanctorum propter inhabitantem Spiritum in illis.

Scio oblatrare Adverſarios: *Mortua ſunt Corpora, nec ullus adeſt ſenſus; ſeparata ſunt ab Anima, quæ fuit ſedes Dei, & ſupernis Chariſmatibus abundavit: nullo ergo honore digna ſunt Corpora, neque enim de præſenti aliquid plus habet cinis Pauli, ac cinis Judæ.*

Inſaniunt dum hæc proferunt non intelligentes, quod ſcriptum eſt: *Viſi ſunt oculis inſipientium mori*, vivunt Sancti Deo, & hoc ſatis eſt, ut eorum exuvias & Reliquias veneremur. *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob; Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Fatemur mortua Corpora Sanctorum in ſe, ſed vivit Anima, & vivit Deo; mortua ſunt, ſed ſubſignata in ſpe melioris reſurrectionis. Non eſt tale pondus argumenti, ut opprimat nos ad deſerendam veritatem: quando ipſi deferunt honorem Cadaveri ſtrenuiſſimi Ducis, vel Regis, verè ſciunt nullum ſupereſſe vitæ gradum in Corpore, at cum vivant apud illos fortiter geſta,

Sapien. 3.

Matth. 22.

Digitized by Google

ſta, honorant mortuum Corpus, & quamvis ſeparatum ab Anima lugeatur, ſibi tamen promeruiſſe unitum obſequia judicant, quæ deferuntur ſeparato; Annulus, Paterna veſtis ſeparata ſunt, nec vivunt, nec aliquando vixerunt, ut ſupra oſtendimus ex Auguſtino, chara tamen poſteris ſunt ob affectum ſuperſtitem erga Parentes. David ſaltabat totis viribus ante Arcam, nec Michol reprehendentem audivit, ſed dixit: *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam Patrem tuum, & quam omnem Domum ejus, & præcepit mihi, ut eſſem Dux ſuper populum Domini in Iſrael, & Juda, & vilior fiam pluſquam factus ſum.* Conſtat Domini Arcam, nec tabulas inde latentes, non manna, nec urnam vitam habuiſſe, nec indè tamen ſacris privata honoribus, & David contempta uxore humiliter reddidit. Separationem Corporis ab Anima ab Eccleſia ſeparata membra nobis objiciunt, neſcientes ſeparationem, quæ fit morte interveniente neceſſitatis eſſe, pœnam culpæ, non actualem culpam. Timeant ipſi illam ſeparationem ab Eccleſia, quæ illos æterna hæreditate expoliabit. Corpora verò Sanctorum, & ſi ad modicum tempus ſeparata inveniantur, interim, quæ paſſa ſunt, & fortiter ſuſtinuerunt pro Dei gloria, non oblivioni data ſunt, ideò à nobis religioſè honorantur, & coluntur. Abſit, ut dicamus eoſdem omnino Cineres Pauli, ac Judæ; Non iidem reputantur Cineres Latronis occiſi, & mortui Regis; Primi vel in aera, vel in flumen projiciuntur, alterius unguentis condiuntur, ut ſerventur: Satis eſt, ut moraliter differant, ut dehonorentur unius, honorentur alterius cineres. Attenditur in his prudentum exiſtimatio, quæ diſcernit, ac penſat merita, ut diſtin-

2. *Reg.* 6.

Digitized by Google

ſtinguat honores. Futuræ reſurrectionis recordentur decretum opponentes, & unde diſtinguantur Pauli, & Judæ proditoris cineres intelligant.

Expectat Anima Pauli diem adventus Domini: timet Anima Judæ illam diem, prima gaudet in ſpe reſurrectionis, quia glorificabitur Corpus, & quod fuit in tribulatione erit particeps conſolationis, altera triſtatur, quia quantum glorificavit ſe, ac in deliciis fuit, tantum habebit Corpus tormentum, & luctum. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, clamat Apoſtolus. Vide habitudinem Animæ Pauli ad ſuos Cineres, ſive Corpus, vel materiem. Diſtributa enim per manus Creatoris maſſa noſtrorum Corporum in varias portiones, portio Pauli reſpicit Animam Pauli, & non Judæ, quod paucis expreſſit verbis patientiſſimus cum dixit: *Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum*. Attende ly *mea*, & invenies quid ſubſtantiale diſtinctum in una portione, quod non reperitur in altera. Ex quibus jam ſummatim dictis evidens fit Sanctorum Corpora juſtiſſimè nos venerari ex intima conjunctione, quam habuerunt ad Animam, quæ Divinis Chariſmatibus fuit locupletata: *Meretur*, inquit Origenes, *rationalis Animæ domicilium, non projici temerè, ſicuti brutorum cadavera, præſertim quod fuit Animæ benè, ac ſanctè inſtrumento ſuo in certaminibus uſæ receptaculum*. Quali in èxiſtimatione fuerit gladius, quo fuit uſus David ad præcidendum caput Goliat manifeſtum redditur ex libro ſecundo Regum, quare idem Rex volens aſſumere gladium dixit: *Da mihi hunc, quia non eſt alter ſimilis huic*. Benè, & ſanctè Juſtorum Animæ uſæ fuere corporibus, ut inſtrumentis ad ſuperandos Dæmonis aſtus, non abſre ergo

1. ad Corinth. 15.

Job 19. 26.

Lib. 8. contra Celſum.

1. Reg. 21. 9.

Digitized by Google

ergo erit, & honorem deferre talibus inſtrumentis.

Sed nè videamur terminos brevitatis tranſgredi, quid nos docuerint faciendum Majores noſtri inſpiciamus, etenim Majorum veſtigia ſectari, qui nobis dati ſunt ad imitationem, gloriamur, & ſi illos invenerimus Cultores Sanctorum Corporum, clamabimus contra adverſarios noſtros: Vos qui eſtis, & unde veniſtis? Olim poſſideo, prior poſſideo, mea eſt poſſeſſio, ſicuti tradiderunt ita faciamus. Avitam Patrum noſtrorum Fidem retinemus, fidiculam veſtram unius diei rejicimus, Deo, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis exoſam, mundo ignotam, & ab omni ſpecie pietatis alienam.

CAPUT II.

Majorum noſtrorum exempla, qui piè, & religioſè Sanctorum Exuvias, & Cineres coluerunt proponuntur.

NON omnia, quæ à Patribus noſtris, vel dicta, vel facta ſunt in venerationem Sanctarum Reliquiarum hic referre decrevi, nè gravis ſim prolixitate legentibus, ſelectiora adducam, alia ſatis erit indicare.

Et incipiendo à ſexu infirmiori, ſed devotiori, manifeſtum eſt, quod Marci ultimo de Sanctis Mulieribus dicitur: *Et cum tranſiſſet Sabbatum Maria Magdalena, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum.* Factum hoc contemnant, ſi velint, Adverſarii, attamen ubicumque prædicatum fuerit Evangelium, hoc commendabitur uti debitum obſequium Sacratiſſimo

Digitized by Google

Corpori Redemptoris noſtri Jeſu; Teſtis ſit Auguſtinus: *Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus religioſæ Mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit, & laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui Corpus ejus de Cruce acceptum diligenter, atque honorificè tegendum, ſepeliendumque curarunt...... Sunt quidem, & alia, quæ Sancti Patriarchæ de Corporibus ſuis, vel condendis, vel transferendis prophetico ſpiritu dicta intelligi voluerunt*. His poſtremis verbis loquitur Auguſtinus de Corpore Jacob Patriarchæ translato à Filiis cum religioſo honore ab Ægypto in Terram Chanaan; & de oſſibus Joſeph, quæ ſecum tulit Moyſes; Et quamvis idem Sanctus Doctor Quæſt. 161. in Geneſim reddat myſticam rationem inquiens: *Sepultura Mortuorum ſignificat remiſſionem peccatorum, eo pertinens quod dictum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata, ubi ergo ſepelienda erant hoc ſignificantia Cadavera Patriarcharum, niſi in ea terra, ubi ille crucifixus eſt, cujus ſanguine facta eſt remiſſio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata ſignificata ſunt hominum*. Hæc licèt acutè protulerit Auguſtinus, non ſequitur, quin cum honore religioſo, & Cadaver Jacob, & Oſſa Joſeph fuerint translata, cum in laudato ſuperius Capite de Civitate Dei oſtendat ex facto Joſeph, & Moyſes, quod non ſint contemnenda Corpora Defunctorum, maximè Juſtorum, quibus tanquam organis, & vaſis ad omnia opera bona Sanctus eſt uſus Spiritus.

Lib. 1. de Civit. Dei Cap. 13. — *Geneſ. 50. 10.* — *Exod. 13. 19.* — *Vide Caput Primum.*

Smirnenſis Eccleſia tanti fecit oſſa Polycarpi Martyris, ut in comparatione illorum aurum, quaſi exi-

exiguam arenam, & argentum quaſi lutum reputaverit; Sic enim ſcribens ad Ponti Eccleſias ſuam conteſtatur venerationem: *Nos Divi Polycarpi Oſſa potiora lapillis pretioſis, auroque puriora ex Cineribus ſublata eo loco repoſuimus, qui illi erat decorus, conſentaneuſque*. Nec mirandum, ſi tanti æſtimarunt Smirnenſes oſſa Polycarpi, cum legamus apud Euſebium Jacobi Apoſtoli Cathedram apud Hieroſolymitanos in veneratione fuiſſe: *Jacobi Apoſtoli Cathedram*, inquit, *ad iſtud tempus ſervatam, Epiſcopi, qui illic ordine ſucceſſerunt, permagnò æſtimant: unde declarant perſpicuè, quemadmodum veteres Patres ad noſtram uſque ætatem ſanctis Viris ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem, & tribuerint, & adhuc tribuere non ceſſent*. Conſulant Adverſarii Joannem Chryſoſtomum homilia 32. in Epiſt. ad Rom. ubi totus effunditur in laudibus Romanæ Urbis; conſiderent in quo laudis materiem reponat: *Celebro hanc Urbem, non propter copiam auri, non propter Columnas, neque propter aliam Phantaſiam, ſed propter illas Columnas Eccleſiæ. Quis mihi nunc dabit circumfundi Corpori Pauli, affici Sepulcro, videre pulverem Corporis illius, quæ adhuc in Chriſto deerant adimplentis, ſtygmata illius geſtantis, prædicationem Evangelii ubique diſſeminantis ..... Vellem videre Sepulcrum, quo recondita ſunt arma illa Juſtitiæ ..... hoc Corpus Urbem hanc munit, quod quavis turri, innumeriſque mænibus, ac vallis eſt tutius, & cum iſto Corpus etiam Petri*. Oh quam diſtat Fides Chryſoſtomi à perfidia Calviniſtarum; ille Sacras Exuvias Apoſtolorum Petri, & Pauli videre, & venerari cupiebat, iſti Pictavii Sancti Hilarii, Lugduni Sancti Irenæi, Thuronibus S. Martini Reliquias exuſſerunt. Ille Di-

Apud Euſeb. lib. 4. Hiſt. Ecc. Cap. 15.

Hiſt. lib. 7. Cap. 14.

Divinam commendat bonitatem, quia novam ſalutis occaſionem nobis tribuit in Sanctorum Reliquiis, iſti tanquam ethnicæ ſuperſtitionis ſigna deteſtantur, non erubeſcens Calvinus ore ſacrilego dicere: *Reliquiarum deſiderium nunquam ſuperſtitione caret, imò quod deterius, eſt mater Idololatriæ*. Longe ſint, ſi velint, ab iſta Idololatria conficta. Nos verò, quia ſemitam Patrum noſtrorum non ſequi, dictis non acquieſcere, ut ſcelus idololatrandi arbitramur: *Omnes*, ut inquit Euſebius, *qui præclarè vixerunt quoquomodo mortui ſunt venerabimur. Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis Milites, ut Dei Amicos venerantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque eis facimus tanquam veris Sanctis, quorum interceſſione non parum juvari profitemur*. Diſpliceat eis devotio noſtra, uti ſuperſtitioſam contemnant, Baſilium defenſorem habemus, qui clamitat: *Pro Legis Judaicæ ritu, ſi qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: Contra mors ſi cuipiam irrogatur pro Chriſti nomine, pretioſæ cenſentur Reliquiæ Sanctorum ejus. In priori Lege dicebatur Sacerdotibus: Non contaminabitur ſuper ullo mortuo. Nunc è diverſo Martyris oſſa, quiſquis attigerit ob gratiam Corpori inſidentem, fit quodammodo ſanctificationis particeps*.

Apud Coccium Tom. 1. tit. de Sanctis.

De præparatione Evang. lib. 13. cap. 7.

Homil. in Pſalm. 135.

Objectet ergo Calvinus abominationem, nos ei ſanctificationem ex Baſilio ſubjiciemus, quæ non dumtaxat in ſolis Corporibus Sanctorum ſiſtit, ſed ipſi loculi, & monumenta ſpirituali gratia conferta ſunt, ut inquit Chryſoſtomus. Si mater eſt Idololatriæ Cultus Reliquiarum, recenſiti Patres dijudicandi ſunt rei læſæ Majeſtatis Divinæ, vel ſi adhuc, eouſque non pervenit malitia Calviniſtarum, ut hoc aſſerant, audiant ſaltem Iſidorum Peluſiotam meliora con-

Chryſ. Laud. in Mart. Ignatium.

Digitized by Google

conſulentem: *Si te offenderit, quod Martyrum Corporum Cinerem propter eorum erga Deum charitatem, atque conſtantiam honore afficiamus; eos, qui ab ipſis medicinam accipiunt interroga, atque quot morbis remedium afferant intellige, ſic fiet, ut non modo id, quod nobis fit non irrideas, verum etiam quod rectè, & cum laude fit imiteris*. Timent Idololatriæ crimen, ſi nobiſcum jungantur, quaſi ritus gentium introducamus in Eccleſia, Chriſti Sanguine fundata: *Sed illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. *Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 55.* *Pſal. 13.*

Talia olim Vigilantius timebat, ſed excuſſit timorem illius Hieronymus: *Honoramus*, inquit, *Reliquias Martyrum, ut eum cujus ſunt Martyres adoremus; honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum, qui ait, qui vos ſuſcipit me ſuſcipit; ſi non honorandæ ſunt Reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus?* Satis expreſſit Hieronymus longè nos abeſſe ab ethnicæ ſuperſtitionis erroribus, non enim illum Cultum, qui unicè ſoli Deo debetur Sanctorum Corporibus reddimus, nec ſervire potius Creaturæ, quam Creatori oblectamur, ſed quos Dei Servos, & Amicos novimus, quoſve ipſe Deus honorat honoramus; Nullum crimen, nullumque defectum recognoſcimus, & ſi fortaſſis reperiatur à Calvinianis, inferamus cum eodem Hieronymo: *Ergo ſacrilegi ſumus, quando Apoſtolorum ingredimur Baſilicas; Sacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas Dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantii illorum ſe ſentire præſentiam confitentur? Sacrilegus, & nunc dicendus eſt Auguſtus Arcadius, qui oſſa Beati* *Epiſt. ad Riparium.* *Adverſus Vigilant. Cap. 2.*

Sa-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit Traciam? Omnes Epiſcopi, non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum Populi, qui occurrerunt Sanctis Reliquiis, & tanta lætitia, quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, ſuſceperunt, ut de Paleſtina, uſque ad Calcedonem jungerentur Populorum examina, & in Chriſti laudem una voce reſonarent . . .

Idem Cap. 9. *Quod ſi Reliquiæ Sanctorum venerandæ non ſunt, malè fecit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum Hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino Sacrificia, & Tumulos eorum Chriſti arbitratur Altaria, & non ſolùm unius Urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui Cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas Mortuorum*. En qualis Fides Chriſtianorum omnium in quarto Sæculo, qualiſque Cultus ex Hieronymo, qui oſtendit etiam in retroactis Sæculis eundem ſemper viguiſſe, & Vigilantium Eunomio adhæſiſſe declarat: *O portentum*, inquit, *in terras ultimas deportandum, rides de Reliquiis Martyrum, & cum auctore hujus hæreſeos Eunomio Eccleſiis Chriſti calumniam ſtruis*. Idem eodem loco.

Sanè ſi ſententia Hieronymi non fuiſſet ſenſus omnium Catholicorum, Ruffinus Aquilejenſis, qui, ut norunt omnes eruditi, in dictis, & operibus Hieronymi aliquid reprehendendum quæſivit, non utique ſiluiſſet, ſed Mundo illum oſtendiſſet tanquam magni criminis reum. Tantum abfuit, ut Hieronymum accuſaret Ruffinus circa Cultum Sanctarum Reliquiarum, ut apertè Catholicam Hieronymi ſententiam, & ipſe ſequatur, & damnet Paganos, qui, temporibus Apoſtatæ Juliani, Præcurſoris

Joan-

Digitized by Google

Joannis oſſa comburere cogitarant: *Juliani*, inquit, *temporibus, Pagani apud Sebaſten Sepulcro Joannis Baptiſtæ mente rabida, & funeſtis manibus invadebant, oſſa diſpergebant, & ea rurſus collecta igne cremabant, & Sanctos Cineres pulveri mixtos per agros, & rura diſpergebant. Sed Dei providentia, factum quoſdam de Hieroſolymis ex Monaſterio Philippi Hominis Dei orationis illuc cauſa per idem tempus veniſſe. Qui cum tantum nefas, humanis quidem manibus, ſed ferina mente fieri viderent, mori gratius habentes, quam hujuſmodi piaculo funeſtari, inter eos, qui oſſa ad comburendum legebant mixti, diligentius in quantum res patiebatur, ac religioſius congregantes furtim ſe, vel ſtupentibus, vel inſanientibus ſubtraxere, & ad religioſum Patrem Philippum venerandas Reliquias pertulere.* *Ruffinus Eccl. Hiſt. lib. 2. cap. 28.*

Certè monſtratur apertè ex Ruffino nihil alienum à vera Catholica Religione fuiſſe amplexatum Hieronymum; ſi vel minimum novitatis contrarium praxi, ac uſui Eccleſiæ apparuiſſet in doctrina Hieronymi, in apologetico Ruffini non defuiſſet. Sed quid immoramur in Ruffino, cum eodem Sæculo habeamus validum teſtimonium Concilii Carthaginenſis quinti cap. 14. ubi Patres prohibent Altaria erecta ad memorias Martyrum recolenda, ni fuerint ibi Corpus, aut Martyrum Reliquiæ? *Placuit, ut Altaria, quæ paſſim per Agros, aut Vias tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur, in quibus nullum Corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt evertantur.* Si tantorum Hominum teſtimonium contemnitur, illicò cum Gennadio Maſſilienſi proferimus: *Si quis contra hanc ſententiam venerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus credi-* *Cap. 73. de Eccl. Dogmat.*

ditur. Quod ſi fortaſſe authoritatem Carthaginenſis Concilii non multi faciendam judicaverint Adverſarii, quia Provinciale fuit, quid dicent de Nycæna ſecunda Synodo, in qua Can. 7. hæc habentur? *Quæcumque Templa conſecrata ſunt abſque Reliquiis Martyrum, in his fieri ſtatuimus Reliquiarum depoſitionem cum conſuetis precibus. Qui enim Templum conſecrat ſine Sanctis Reliquiis deponatur, ut qui Eccleſiaſticas Traditiones transgreſſus ſit.*

Non me latet reſpuere hanc Synodum modernos heterodoxos, quia contraria eorum erroribus reperitur, non attendentes pari paſſu poſſe rejici ab Arianis Nycænam primam; à Neſtorianis Epheſinam; ab Eutychianis Chalcedonenſem. Inveniendæ veritatis modus nunquam præſcribetur, ſi illicò quidquid noſtræ opinioni contrarium proponitur, tanquam falſum reprobatur. Oſtendant quare falſitatis nota inuri debeat? Non quia Calvinus, aut Lutherus dixit. Si contentio ſit de veritate affirmantium Cultum, aut negantium eumdem, appendatur in ſtatera pondus Calvini, Lutheri, Vigilantii, Eunomii, & invenietur minus habens ſi conferatur cum Juſtino Martyre, Athanaſio, Baſilio, Chryſoſtomo, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Auguſtino, Ambroſio, Patribus Carthaginenſibus, & Nycenis, aliiſque, qui à quarto Sæculo uſque nunc floruerunt, quos brevitatis gratia omittimus, & pro Cultu Sacrarum Reliquiarum ſtetiſse, nec Adverſarii negant.

Quis vellet potius deſpicere teſtimonium horum Doctorum, ut adhæreret uni, aut alteri homuncioni? Non eſset quærere Fidem, ſed perfidiam, non ſequi veritatem, ſed vanitatem; quod ſi adhuc poſt tantam nubem teſtium velint pertinaces

ces eſse, nos cum Ambroſio clamabimus: *Condant alii aurum, & argentum, ac de latentibus eruant venis, legant pretioſa monilium ſerta: temporalis ille theſaurus eſt ſæpè habentibus pernicioſus: nos legimus Martyrum Clavos, & multos quidem ..... Munera itaque ſalutis accipite.* *Ambroſius Exort. ad Virgines.*

Accipite quæſo munera ſalutis, ò Novatores, in veneratione Sanctarum Reliquiarum: accipite, non vobis proponimus, niſi avitam Fidem Patrum, accipite, vel ſi eorum dictis acquieſcere detrectatis, ſaltem operibus credite, & Miraculis, quæ Deus in Cultu Sanctarum Reliquiarum eſt operatus aures veſtras inclinate.

CAPUT III.

Miracula ex Reliquiis Sanctorum operata referuntur.

QUOT Patres dedimus ſuperiori Capite, tot præcones ſunt veritatis, tot teſtes omni exceptione majores ad confirmandum Cultum debitum Sanctorum Reliquiis. Satis quidem eſſe deberet benè diſpoſitæ menti, ſed quia adhuc cęcutiunt Eunomiani, ſeu novi Vigilantiani, excitamus illos per ſigna, & portenta, ut vel coacti credant veritati.

Solum Deum Principem Authorem Miraculorum recognoſcimus: *Tu es Deus, qui facis mirabilia magna ſolus.* *Pſalm. 135.* Miracula autem Deus operatur in confirmationem veritatis Fidei noſtræ: *Signa autem, quæ crediderint hæc ſequentur, linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, ſi mortiferum quid biberint non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, &* *Marci 16.17.*

benè habebunt : Illi autem profecti prædicaverunt ubique ,Deo ſermonem confirmante ſequentibus ſignis ; & rurſum : *Si opera non feciſſem in eis , quæ nemo alius fecit peccatum non haberent* . Teſtes ergo veritatis ſigna ſunt, ut illam amplectamur , nunquam verò adhibentur à Deo ad comprobandam falſitatem , nè refundatur in illum, qui ſolus eſt Author Miraculorum ; Et quamvis referatur Veſpaſianum Imperatorem cæcum illuminaſſe , novimus , narrante Tacito , cæcum illa infirmitate ad tempus laboraſſe ob ſolam obſtructionem meatuum, quare naturales cauſas non fugiebat aſserta infirmitas . Objectent , ſi velint, aquam Baptiſmi evanuiſſe dum quidam Hebræus vellet iterùm baptizari per manus Pauli Novatiani ; Signum dabimus, non pro Novatianæ hæreſis confirmatione , ſed pro veritate Sacramenti Baptiſmi non repetendi . Nec jactent prodigia facienda per filium perditionis Antichriſtum , illa enim erunt illuſoria , fictitia , apparentia , non vera Miracula, ut ex Apoſtolo comprobatur. Faciet quidem de Cœlo deſcendere ignem , at deſcenſus iſte omninò naturalis erit , naturalem Dæmonum virtutem non ſuperans , quare eodem tempore ſuſcitabit Dominus ſervos ſuos Enoch,& Eliam, qui per vera , & ſupernaturalia Miracula , præſtigias , & fictitia Antichriſti ſigna deſtruent, & oſtendent reliquiis ſalvandis Iſrael , ubi ſit vera Fides , & Eccleſia . Sì quid autem in Hiſtoriis Ethnicorum perlegatur ordinis ſuperioris operatum , non longè ſumus in concedendo , hoc quidem factum fuiſse à Deo ad oſtendendam innocentiam eorum , qui injuſtè reputabantur rei , ad comprobandam virginitatem , aliaſque virtutes morales, ut præclarè docet Auguſtinus in libris de Civitate Dei . Scimus in Evan-

Joan. 15. 24.

Evangelio nonnullos in nomine Jeſu Dæmonia eji- *Lucæ* 11. 14.
ciſse, qui tamen non erant ex Diſcipulis Chriſti, ut manifeſtaretur etiam per inimicos virtus ſacratiſsimi Nominis; Patens itaque redditur vera Miracula ad ſolam oſtenſionem veritatis fieri, & cum hoc ita ſit, cur nos Cinerarios appellare non ceſſant, & Idololatras, qui Mortuorum oſsa veneramur? Si in oſsibus iſtis non ſuſcitaſset Deus prodigia, adhuc ſuſtineremus calumniam, ſi nos tamquam reos clamarent in noſtro Cultu, at cum ſigna, & prodigia viderimus, cur redarguunt ſequentes illam veritatem, quam palam nobis fecit Dominus per ſigna? Nonne tetigit Cadaver oſsa Eliſei, & 4. *Reg.* 13. 21.
revixit Homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos? Quamobrem in laudem Prophetæ dicitur: *In vita ſua fecit* *Eccleſiaſtic.* 48. 15.
monſtra, & in morte mirabilia operatus eſt. Quale crimen reputas in Cultu, ſi colentes exaudiuntur, & ad contactum, per vos nefandum, ò heterodoxi, mortui reſurgunt? Nunquid iniquitas eſt apud Deum, aut illudit nobis operando Miracula, ut perſiſtentes ſimus in malo?

Cum Præcurſor Domini Joannes mitteret duos ex Diſcipulis ſuis, reſpondens Jeſus ait illis: *Eun-* *Matth.* 11.
tes renuntiate Joanni, quæ audiſtis, & quæ vidiſtis, cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt. Renuntiamus vobis portenta, & ſigna, quæ audivimus, & vidimus, & adhuc hæſitatis, & non captivatis intellectum veſtrum, ut credatis Deum mirabilem in Sanctis ſuis, & velle honorari in Reliquiis Servorum ſuorum? Non ſolius Eliſei tantùm ſuſcitatione mortui glorioſum factum eſt ſepulcrum.

Narrat Hieronymus in Epitaphio Paulæ cap. 6. quod pia Matrona inviſit duodecim Patriarcharum

Digitized by Google

ſepulcra, & Samariam. Ibi ſiti ſunt Eliſeus, & Abdias Prophetæ, & Joannes Baptiſta, ubi multis intremuit conſternata mirabilibus, nanque cernebat variis Dæmones rugire cruciatibus, & ante ſepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, ſibilare ſerpentum, mugire taurorum. Fœmineas illuſiones hæc dicent, ſed cum referantur à Hieronymo de ſapientiſsima Muliere, effrontis animi eſt levitatem ſuſpicari.

Quid ulteriùs dicent de ſudariis, & ſemicinctiis Pauli, & de umbra Petri? Actorum librum proferamus: *Magis autem augebatur Credentium in Domino multitudo Virorum, ac Mulierum, itaut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, & grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis. Virtuteſque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, itaut etiam ſuper languidos deferrentur à Corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.*

Actor. Cap 5. & 19.

Cap. 19.

Nec eſt immorandum, quod hæc fiebant ex Reliquiis Virorum non mortuorum, etenim Deo acceptior erat, & eſt Anima Petri, vel Pauli poſt conſumationem, quam ante. Cumulus meritorum impletus, Martyrium conſumatum, & Charitas perfecta aliquid plus valere apud Deum arbitramur. Mors non tollit meritum Sanctorum, ſed coronat, & cum ſit pretioſa in conſpectu Domini, ſi in vita ſic honorati ſunt in Reliquiis Amici Dei, in morte augeri, non minui neceſſe eſt debitus honor. Si umbra Petri honorabilis, quanto magis Corpus? Si ſemicinctia, & ſudaria Pauli languores curabant, quid oſſa facient?

Ite-

Digitized by Google

Iterùm recurrit ſimilitudo annuli, & veſtis, quam attulimus ex Auguſtino cap. I. Afferamus tamen non ex neceſſitate, ſed ex abundantia alia ſigna, & portenta, quæ quovis tempore in commendationem Cultus Servorum ſuorum operatus eſt Deus per eorum ſacratos Cineres. Omnia hìc conſignare ſolus ille poteſt, qui fecit; ſelectiora ex probatiſſimis Authoribus proponamus, ut appareat quam longè ſint à veritate negantes. Si Juſtinum conſulamus Quæſt. 28. Corporibus, ac Sepulcris Sanctorum Deum conceſſiſſe virtutem ſanandi profitetur: *Sanctorum Corpora*, inquit, *& Sepulcra Martyrum, & Dæmonum amoliuntur inſidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt ſanationes*.

Deſcendamus ad particularia prodigia. Baſilio narrante ſcimus per Julittæ Martyris Corpus talia ſigna oſtendiſſe Deum, ut mutarit ſalſas in dulces aquas, adeòut, inquit Sanctus Doctor: *Martyr hæc Imaginem pientiſſimæ referat Matris, dum nutricis in morem totius incolas Urbis alit ſuaviter, perindè, ac lacte quopiam in communes uſus affatim ſcaturiente. Hanc ipſam in nos benignè contulit Martyr gratiam, quam olim ſuis Hyerecuntinis Eliſeus impertivit, dum ſalſuginem naturæ communis aquarum loci iſtius circumquaque finitimi, benedictione permutavit in ſaporem dulcem, planè delitioſum, & perquam ſuavem*. *Orat. in S. Julittam.* De Cœmeterio Eunuchi Candacis Reginæ Ætyopum refert Dorothæus Tyrius in Synopſi, quod barbaros ſceleſtes fugat, morbos pellit, & ſanationem operatur uſque ad præſentem diem. Et quoniam Adverſarii magni faciunt authoritatem Auguſtini perlegant illum lib. 22. de Civitate Dei, ubi diffusè tractat de cæco illuminato Me-

Mediolani cum reperta fuerint Corpora Sanctorum Martyrum Protaſii, & Gervaſii: *Miraculum*, ait, *quod Mediolani factum eſt cum illic eſſemus, quando illuminatus eſt cæcus, ad multorum notitiam potuit pervenire, quia, & grandis eſt Civitas, & ibi erat tunc Imperator, & immenſo Populo res geſta eſt concurrente ad Corpora Martyrum Gervaſii, & Prothaſii.* Modum ſanationis explicat lib. 9. Confeſs. cap. 7. *Imperavit admitti, ut Judario tangeret feretrum pretioſæ in conſpectu tuo mortis Sanctorum tuorum. Quod ubi fecit, atque admovit, oculi confeſtim aperti ſunt.*

Taceo de aliis Miraculis, quæ ad contactum Reliquiarum glorioſiſſimi Protomartyris Stephani perleguntur operata eodem Auguſtino authore in laudato libro de Civitate Dei, uti de Lucillo Epiſcopo, qui piæ Sarcinæ vectatione liberatus fuit à fiſtula, cujus moleſtia jam diù laboraverat. De Sanctimoniali quadam, cujus cadaver cum fuiſſet opertum tunica Sancti Levitæ, iterùm recepto ſpiritu revixit, & de Filio cujuſdam Irenæi collectarii, qui ægritudine extinctus, perunɛto Corpore oleo Martyris iterum inter viventes adnumeratus eſt.

Hæc quidem taceo, cum perlegi poſſint apud Auguſtinum fuſiori, & ſanctiori calamo tractantem, nec in uno, vel altero commoratur, ſed plura, & plura ſigna refert ipſo ſpectante patrata, ut poſſimus
Pſal. 82. exclamare: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; nec valeat quiſquam, ſi ſanæ mentis fuerit, denegare Cultum, & non venerari Majeſtatem Domini fulgentem in Sanctis ſuis. Si quæ autem contra hæc ſigna oblatrare velint, certè non poterunt dicere à nobis conficta, ſed à Patribus noſtris viſa, & nuntiata retuliſſe. Et Vigilantius oppoſuit, & Hie-

Digitized by Google

& Hieronymus abundè reſpondet Cap.4. inquiens: *Argumentatur Vigilantius contra ſigna, atque virtutes, quæ in Baſilicis Martyrum fiunt, & dicit eas incredulis prodeſſe, non credentibus, quaſi nunc hoc quæratur, quibus fiant, & non qua virtute fiant. Eſto ſigna ſint infidelium, qui quoniam ſermoni, & doctrinæ credere noluerunt, ſignis adducantur ad Fidem. Et Dominus incredulis ſigna faciebat, & tamen non idcirco Domini ſugillanda ſunt ſigna, quia illi infideles erant: ſed majori admirationi erunt, quia fuere tantæ potentiæ, ut etiam mentes duriſſimas edomarent, & ad Fidem cogerent. Itaque nolo mihi dicas: Signa infidelium ſunt, ſed reſponde, quomodo in viliſſimo pulvere & favilla neſcio qua, tanta ſit ſignorum, virtutumque præſentia?*

Erubeſcant Calviniani moderni videntes unde arma deſumant, ut inſurgant contra nos. Non Eccleſiæ Doctores proferunt, ſed Vigilantium adhibent, & ea, quæ dormitando deliravit contra Sanctos Dei iterum proponunt. Tali Magiſtro digni Diſcipuli. Dicant non vera ſigna nos oſtendere, Hieronymus illis irridebit: *Niſi fortè in morem Gentilium, impiorumque Porphyrii, & Eumenii, has præſtigias Dæmonum eſſe confingas, & non verè clamare Dæmones, ſed ſua ſimulare tormenta.* Cap.4.

Ethnicorum mos fuit noſtris inſultare Miraculis, ea tribuentes, vel Magicæ arti, vel arcanis naturæ, uti docet Auguſtinus citato libro de Civitate Dei, vel quid ſimile eorum Deos feciſſe, unde ſubridens idem Doctor addit Cap. 10. *Hic forte dicturi ſunt etiam Deos ſuos aliqua mira feciſſe: benè, ſi jam incipiunt Deos ſuos noſtris mortuis hominibus comparare.* Aut ergo Calviniani dant per noſtros mortuos homines Deum mirabilia fuiſſe opera-

ratum, aut negant, ſi negant; inſtat ſuper illos ſententia Auguſtini, & Hieronymi, & Ethnici jam facti ſunt; ſi verò Miracula affirmant, cur detrahunt Cultui, & non potius dicunt: Sic honorabitur, quem Rex Cœleſtis voluerit honorari? Mira profectò rerum converſio, matrem Idololatriæ dicunt Cultum Sanctorum, & ipſi Idololatræ facti ſunt, mira credentes, & Cultum non reddentes. Aſſentimur, inquiunt, prodigia fuiſſe facta, non ut Reliquias Sanctorum veneremur, ſed ut Deum honoremus, ut cognoſcamus veram fuiſſe Fidem illorum Sanctorum, per quos ſigna fieri videmus. At nonne Servus honoratur propter Dominum? Et ſi prodigia admittitis, ut vera, nè ſitis ethnici, quare eos dehonoratis, quos Deus honorat? Venerando Sanctos adoramus Deum, qui illos coronavit, & mirabiles nobis oſtendit; & ſi vobis ultra concedentibus; ideò facta creduntur Miracula, ut vera illorum oſtendatur Fides; quare noſtra evacuabitur, cum videamus ſigna fieri per eos, qui Sanctorum pariter Cineres nobiſcum coluerunt? Si Deo exoſus Cultus noſter, recurrit quod dicebat quidam: *Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus; nam iſta in nobis tantis ſignis, & prodigiis confirmata ſunt, & talibus, quæ nonniſi per te fieri poſſunt*; quando unquam colentes Romulum, Herculem, Iſidem, Jovem, viderunt mortuos ſuſcitari, leproſos mundari, cæcos illuminari, infirmos ſanari? Teſtis falſitatis extitiſſet Deus, & confirmaſſet Idololatriæ ſcelus, exhibendo ſigna in talibus circumſtantiis. Videntes ergò in obſequio reddito Sanctis noſtris prodigia, ritè judicamus placere Deo obſequium, & cum non ſpernat preces humilium, ſed exaudiat, velle quem exhibemus Cultum recognoſci-

Richardus à S. Victore lib. de Trinit. cap. 2.

ſcimus. Satis certi ſumus de recta, quam habuerunt Fidem Sancti, ad Tumbas illorum properamus pro ſpiritualibus Animæ, vel Corporis neceſſitatibus, quod petimus obtinemus. Si Deus graviſſimo Idololatriæ crimine offenditur, quare per Miraculorum ſigna dicit ſe placatum? Injuria afficeremus, & Sanctos ipſos accedendo ad Sepulcra, oſculando Oſſa, venerando Reliquias, ergo & ipſi clamarent adverſum nos, nec impetrarent quidquam pro nobis. Et cum è contra res ſe habeat, portenta, quæ narrantur à Patribus, etiam eò titulo fieri credendum ob Cultum debitum, vel ſi non eo titulo, facite vos ſimilia, & majora ſigna; nullum ſignum facitis damnantes Cultum Reliquiarum ut ſuperſtitioſum, & idololatricum, & vobis credemus? Audite nunc quid de vobis dicat Eraſmus, quem inter inimicos non computatis: *Apoſtoli quoniam excutiebant viperas, ſanabant ægrotos, excitabant mortuos impoſita manu, dabant dona linguarum, ita demum creditum eſt; & vix creditum eſt illis paradoxa docentibus. Nunc, cum juxta communem opinionem adferant paradoxotera, nullus adhuc illorum extitit, qui vel claudum equum ſanare potuerit.* Nova ergo cum tradatis oſtendite ſigna, ſicuti & nos ex Tumulis Sanctorum antiqua ſequendo Patrum veſtigia. Novimus ex Hieronymo Bolſeco Calvinum velle quemdam Brulleum fictitiè mortuum oſtendere vivum, & verè fecit mortuum: negent hoc quantum velint, inquit Bolſecus, mancipia Calvini; exploratum, & ſatis fuit, veritaſque rei ſatis probata. Lutherus tentavit Vitembergæ dæmoniacam quamdam Puellam liberare, & vix ſe potuit fugiendo à Dæmone liberare; Teſtis oculatus Fridericus Staphilus narrat.

Eraſmus in Diatribe de libero Arbitrio.

Digitized by Google

Hæc portenta veſtra, quæ non ſe oſtendunt ad claudum Aſinum ſublevandum. Miracula, repeto cum Auguſtino, non facitis; quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus, perinſtruentem nos Dominum, & dicentem: exurgent multi pſeudo-Chriſti, & facient ſigna, & prodigia. Audeat ſubjungere: Textum Evangelicum ſugillare nos, qui prodigia, & ſigna jactamus. Et cur non potius Novatores hæreticos, qui præſumpſerunt oſtendere ſigna, & defecerunt? Loquitur Chriſtus, non de veris, ſed de falſis, & apparentibus prodigiis, uti de conficto mortuo Calvini, & ſimilibus, quæ per Prodromos Antichriſti fient. Nunquid Martyres Domini, qui ſanguine proprio Catholicam Fidem conteſtati ſunt, Antichriſtos clamabunt? Oſſa ergo Eliſei ſub anathemate erunt? Sed quid immoror in his, ſemel deſcripta à Patribus noſtris proſequamur prodigia, ut obſtruantur ora loquentium iniqua.

Lib. 13. contra Fauſtum.

Non ea omnia, quæ narrat Ambroſius in mirabili inventione Sanctorum Gervaſii, & Protaſii hic referre poſſumus, pauca ſubjiciemus: *Cognoviſtis*, inquit, *imò vidiſtis ipſi multos à Dæmoniis purgatos, plurimos etiam ubi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, his, quibus laborabant infirmitatibus abſolutos. Reparata vetuſti Corporis Miracula, quo ſe per adventum Domini Jeſu gratia terris major infuderat, umbra quadam Sanctorum, pleroſque ſanatos cernitis. Quanta oraria jactitantur, quanta indumenta ſuper Reliquias Sacratiſſimas, ut actu ipſo medicabilia repoſcantur? Gaudent omnes extrema lina contingere, & qui contigerit ſalvus erit*. Poterat ne melius Ambroſius inſaniam hæreticorum notare, noſtrum Cultum approbare, & Deus ipſe per ſigna in con-

Lib. 10. ep. 85. de Inventione SS. Gervaſii, & Protaſii.

Digitized by Google

contactu Sacrarum Reliquiarum ſuſcitata teſtificari? Sed audiamus illum ſermone 19. ubi retundit objecta Arianorum, quæ hodie ſunt modernorum hæreticorum. *Celebritati veſtræ, qui ſolent invident, & quia celebritatem veſtram invidis animis ferre non poſſunt, cauſam celebritatis odere, atque amentiæ in tantum prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam Dæmones confitentur: ſed hoc non mirum, ſiquidem tanta eſt incredulorum perfidia, ut tolerabilior ſit Diaboli confeſſio. Dicebat enim Diabolus: Jeſu Fili Dei vivi, quid veniſti ante tempus torquere nos, & cum hæc audirent Judæi ipſi, tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audiſtis clamantes Dæmones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non poſſint, & dicentes, quid veniſtis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et Ariani dicunt: Non ſunt iſti Martyres, nec torquere Diabolum poſſunt, nec aliquem liberare; cum tormenta Dæmonum, ipſorum voce probentur, & beneficia Martyrum remediis cæcorum, & abſolutorum judiciis declarentur. Negant cæcum illuminatum, ſed ille non negat ſe ſanatum; ille dicit video, qui non videbam, ille dicit cæcus eſſe deſivi, & probat facto, iſti beneficium negant, qui factum negare non poſſunt. Notus homo eſt publicis cum valeret mancipatus obſequiis, Severus nomine, lanius miniſterio. Depoſuerat officium poſtquam inciderat impedimentum. Vocat ad teſtimonium homines, quorum ante ſuſtentabatur obſequiis, eos Judices ſuæ viſitationis acceſſit, quos habebat teſtes, & arbitros ſuæ cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fibriam de veſte Martyrum, qua Sacræ Reliquiæ veſtiuntur, redditum lumen ſibi ſit; nonne ſimile illud eſt, atque illud quod in Evangelio legimus? Unius etenim potentiam laudamus Authoris, nec intereſt,*

utrum opus ſit, an munus, cum & muneretur in opere, & operetur in munere.

Hæc Ambroſius mirè deſcribens in perſona Arianorum Lutheranos, Calvinianos, alioſque mŏdernos heterodoxos, qui invident Celebritatibus Sanctorum, ſicuti Ariani, quando & Dæmones ipſi confitentur merita Martyrum, & hi Dæmonibus deteriores facti negant, ut tolerabilior ſit Diaboli confeſſio, quam eorum perfidia. Miracula exhibemus operata in Cultu Sanctarum Reliquiarum. Clamatis Novatores voce Arianorum: Non poſſunt hæc præſtare Sancti. Qui non videbat videt, & dicit: cæcus eſſe deſivi, & probat facto. Vos negatis beneficium, qui factum negare non poteſtis, huc illucque divertitis torti evidentia facti, & Miracula illuſiones vocatis, aut aliquid profertis, quod ipſi neſcitis, omnia demum probatis, dummodo quod bonum eſt non teneatis. Eo vos perduxit perfidia, ut auſus fuit unus ex veſtris dicere: Beatum Ambroſium diabolica viſione faſcinatum, & Cacodæmonis voce deluſum, dum Reliquias Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii ſibi divinitus patefactas honeſtiori ſepultura donavit, ſimulque Miracula tum peracta, ſubtilitates, & diabolicas illuſiones pronuntiat.

Cauſeur Calviniſta apud Coccium.

Quid inſultius, & procacius dici poteſt? Arianis conjuncti pejores apparetis, totum reponitis in calumniis, & dicteriis. In Belſebù Principe Dæmoniorum ejeciſſe Dæmonia Jeſum bleſphemabant Judæi, idem aſſeritis vos, & Eccleſiæ Chriſti reformatores appellari concupiſcitis? Patrum teſtimonia proferimus, & ſapientiores illis vos jactitare non erubeſcitis, adeout in Colloquiis convivalibus Cap. 1. de Patribus Eccleſiæ Lutherus non unum tan-

Lucæ 11. 14.

Digitized by Google

tantùm, ſed omnes Patres carpere ore putido delectetur inquiens: *Hieronymum legere licet propter hiſtoriam, nam de Fide, & vera Religione, & Doctrina, nec verbum quidem in ipſius ſcriptis eſt; Origenem jam dudum diris devovi; Chryſoſtomum nullo loco habeo, non eſt niſi loquaculus; Baſilius nihil valet, totus eſt Monachus, nec pilo quidem illum redimerem; Apologia Philippi omnes Eccleſiæ Doctores exſuperat, etiam Auguſtinum ..... Tertullianus merus inter Eccleſiæ Doctores; eſt Caroloſtadius; Cyprianus Martyr infirmus eſt Theologus.* Hæc impudentiſſimus homo. *Apud Cocium.*

Volunt tenebras eſſe in Patribus Eccleſiæ, de quibus dixit Chriſtus: *Vos eſtis lux Mundi*. Doctores fatentur eſſe Eccleſiæ Baſilium, Auguſtinum, cæteroſque, & renuunt apprehendere diſciplinam, & quod pejus eſt irrident, contemnunt, & blaſphemant. Quare illis Sanctis donatum eſt Magiſterium, niſi ut nos proficiamus diſcipuli, & ex ore Magiſtrorum pendentes, quæ nos docuerunt circa Cultum, & Miracula Sanctarum Reliquiarum teneamus? Cum Doctrinæ adjuncta fuerit Sanctitas, illorum teſtimonium amplectendum eſt, non rejiciendum. Teſtes idonei omninò ſunt omni exceptione majores: obſtinatiſſimi cordis eſt Fidem non adhibere. Et ſi ſaltem quantum ad hiſtoriam legendus eſt Hieronymus; ergo verum protulit: ea etenim prima Hiſtorici conditio cenſetur, ut vera narret. Vel ſi non audiendi ſunt, quare appellantur Patres? Nova hæc doctrina eſt, ut Filii non audiant vocem Patrum. Vos quidem dicetis ex illis non deſcendere, & dò vobis, quia ex Patre Diabolo eſtis, & cum illis pluries comediſſe teſtatur Lutherus. Quid mirum, ſi contempſerit omnes Do-

Doctores Eccleſiæ , contra quam ſemper inſurrexit adverſarius noſter Diabolus ? Sed protegente Deo, protegente Jeſu Chriſto Sponſo ejus , victrix remanſit Eccleſia coruſcans ſignis , abundas Miraculis ad confirmationem veritatis , ad oſtenſionem Sanctitatis , ad approbationem religioſi Cultus , qui Sanctorum Reliquiis redditur ab his , qui Chriſtiana Profeſſione cenſentur , qui Doctorum Eccleſiæ Doctrinam ſequuntur , qui Patrum vocem auſcultare gloriantur .

PARS

Digitized by Google

PARS ALTERA.

CAPUT PRIMUM.

Quæ antiqui Hæretici contra Cultum dixere reſelluntur.

IN priori parte firmare curavimus noſtra, nunc verò quam infirma ſint, quæ Adverſarii nobis opponunt oſtendere incipiamus: libuit percurrere, quæ antiqui hæretici Eunomius, & Vigilantius declamarunt contra Cultum Sanctarum Reliquiarum, nihilque inveni reſponſione dignum, contemneda ſunt quæ dicunt, non timenda, adeo à veritate longè ſunt, ut potius ferula, quam calamo ſint admonendi. Superius cum Hieronymo retulimus, quòd ille Vigilantius, ſeu Dormitantius deliraverit nil adducens, quo vel apparenter ſuum muniat errorem. Surrexit in defenſionem Vigilantii Lutherus aſſerens, quod ſi nihil fortaſſis ex Vigilantio remanet ad explodendas, & exſibillandas Reliquias Sanctorum, quia ſcri-

Digitized by Google

ſcripta Vigilantii perierunt: *Quod ſi adhuc*, inquit, *Vigilantii monumenta ſupereſſent, quemadmodum Hieronymi etiamnum extant, facilè crediderim eum multò Chriſtianius ſuper hoc ſcripſiſſe, quam ipſum Hieronymum; vellem terra omnes iſtas Reliquias contectas eſſe.*

Perierint ſcripta Vigilantii una cum ipſo, vel non, hoc non quæritur modo; ſed ſolum, quæ reliquerit pro defenſione ſui erroris perſcrutamur ex illis ſupparibus Authoribus, qui Vigilantium impugnarunt. Habes aliquid, ò Luthere, quod proferas ex Vigilantio, noli metuere, palam loquere, nè muſſites, dic apertè, nè recurras ad ſcripta, quæ non ſunt, alias confutaberis ab his, quæ contra ipſum ſcripta ſunt. Exeat nunc neſcio quis Neſtorianus, perlegat Anathematiſmum Cyrilli, dicat non extant ſcripta Neſtorii, quæ ſi extarent ſicuti Cyrilli, multò Chriſtianius ſcripſiſſet; Finge Arianum ſimilia proferentem de ſuo Ario: Pelagianum de Pelagio; alias fæces hæreticorum de ſuis hæreſiarchis; ex hoc dicto putaſne ſatis defendiſſe hæreſes, ſuoſque authores? Et tu ipſe parvipendes novum ratiocinandi genus abſque ratiocinio. Quare Chriſtianius ſcripſiſſet Jovinianus, quam Hieronymus? Cauſa latet in veſana mente Lutheri, & diſcipulorum ejus nunquam manifeſtanda, quia non extat, ſicuti monumenta Vigilantii. Ille Chriſtianius ſcribere judicandus eſt, qui profert ex Dei verbo ſcripto, vel tradito, ex conſenſu Patrum, ex oraculis Antiſtitum Romanorum, & Œcumenicorum Conciliorum, at cum ex his capitibus Chriſtianius ſcripſiſſe non demonſtretur, verè cum Vigilantio obdormiſti ò Luthere, qui ſcrutando talia defeciſti. Repoſuit tamen Vigilantius

tius textum Scripturæ, ut indicat Hieronymus, quo dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*, quaſi hoc textu proſcribatur Cultus, qui à nobis Sanctorum Reliquiis jure defertur: ſed evaneſcit puerilis objectio, ſi advertatur nos ſupremum illum Cultum, qui unicè ſoli Deo ob ſupremum Dominium ſupra Creaturas debetur, non transferre in Sanctos ejus, ut prima parte ex Hieronymo relatum eſt, ſed ſolum honoramus, quos & ipſe Deus honorat. Soli Deo inſervire dicimur, quia Catholicè profitemur, quod unus ſit Dominus, eique ex corde ſubjicimus: *Non eſt alius præter te Domine*. Sanctos non ut Dominos, ſed ut ſervos Domini veneramur. Hiſpani, Galli, Angli unum in Regni Solio recognoſcunt, non ſic tamen uni Regi obſequium reddunt, ut deſpiciant propinquos, affines, & quos Regi charos eſſe intellexerint; teſtes volo heterodoxos, an ſic honorent unum in Regno, ut cœteros Regios Miniſtros dijudicent dehonorandos; in tota Republica humana uſus talis adhuc non apparuit, nec qui in Orbe dicuntur Principes ſibi aliquid detractum putant, ex eo quod Conjunctos, Aulicos Miniſtros, & Servos illorum honoremus. Rex ergo Regum, & Dominus Dominantium à quo, ſi quæ eſt recta forma Regiminis, deſcendit, non iraſcitur, ſi aliquid obſequii deferamus his, qui computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Quis unquam Pater indignatus eſt ex eo, quod ſervos viderit honorantes filios ſuos. Si Patre omiſſo ſoli honorarentur filii, juſta eſſet cauſa indignationis, at ſi quod Patri debetur non negligitur, & quod filiis convenit exhibetur obſequium, delectari oportet, quia unicuique quod ſuum eſt reddere non detre-

Matth. 4. 10.

Digitized by Google

ſtant. Divina quidem præcipit Scriptura, ut ſolum Deum adoremus Cultu ſupremo, & abſoluto, qui dicitur Latriæ: Cultu tamen inferiori Duliæ, aut Hyperduliæ Sanctos venerari nullibi prohibemur. In aſſumpto aereo Corpore Angelos ſacra obſequia recepiſſe ab hominibus, patet legentibus ſcripturam, quod ſi idem obſequium reddere volens Joannes Angelo ſibi apparenti prohibitus fuerit, ideo factum ſcimus ex Gregorio, nè ſub ſe naturam noſtram proſtratam cerneret, quam ſuper ſe exaltatam in Cœlorum Rege venerantur. Indicium fuit ſublimitatis nobis per Chriſtum donatæ, non Cultus indebiti Angelis in Cœlo cum Deo regnantibus.

Cauſantur moderni hæretici, quod nomina Duliæ, & Hyperduliæ in Scripturis non habeantur. Similem quærimoniam protulere Ariani, quod vox conſubſtantialis non reperiretur; Contempſere Patres Nycæni debile Arianorum telum, & ſemel aſſumptum verbum explicativum Divinitatis Filii retinuerunt, & addiderunt Apoſtolorum Symbolo, nihil timentes clamores hæreticorum, dummodo ſalva conſiſteret Fides Catholicorum. Damus modernis hæreticis expreſsè non inveniri recenſitas voces, cum tamen ex ſuperius dictis non deſint quantum ad ſubſtantiam, illas adhibemus ſequentes veſtigia Patrum noſtrorum, qui contra perfidiam Arianorum protulerunt. Non illicitum reputamus contra novos errores novas ſtatuere voces, contra nova venena nova antidota, & novis morbis nova adhibere medicamina. Nolunt verba dici, quæ ſcripta non ſunt: hoc clamabat Conſtantius impius Imperator, hoc & Aſſeclæ illius, hoc & vos hodie repetitis, ſed quid contra hos clamores ſcripſerit Hi-

Digitized by Google

Hilarius audite: *Utitur autem etiam nunc* (Conſtantius ſcilicet) *artis ſuæ conſuetudine, ut per recti ſpeciem prava confirmet, & per rationis nomen inſana conſtituat. Nolo, inquit, verba, quæ non ſcripta ſunt dici. Hoc tantum rogo, quis Epiſcopis jubeat? Aut quis Apoſtolicæ Prædicationis vitet formam? Dic priùs, ſi rectè dici putas: nolo adverſus nova venena novas medicamentorum comparationes: Nolo adverſum novos hoſtes nova bella: Nolo adverſum novas inſidias conſilia recentia .... Novitates vocum, ſed prophanas devitari jubet Apoſtolus, tu cur pias excludis? Innaſcibilem ſcriptum nunquam legis, nunquid, & hoc negandum erit, quia novum eſt? Decernis ſimilem Patri Filium, Evangelia non prædicant. Quid eſt quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio ſubmovetur. Ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur, ubi autem Religionis maxima, & ſola cautela eſt excluditur.* Hæc Hilarius. *Hilar. lib. contra Conſtantium.* Videant ergo Calviniani omnia nomina deſiderantes expreſsè in Scripturis, quibus aſſimilentur, & unde proveniant. Vocem novam duliam reformidant, ut novum tueantur errorem de abrogando Sanctorum Cultu, ſicuti negantes Divinitatem Filii Dei vocem homuſion rejiciebant: *O Homo*, loquor cum Nazianzeno, *qui hoc prohibes, quæro utrum ideo nominari non debeat, quia ſcriptum non eſt, aut quia credi non licet? Quod ſi ita credendum eſt, cur non ita profitendum? Aut ſi ideo ita nominandum non eſt, quia non ita credendum, obtinuit Arianæ labis aſſertio .... Fruſtra times, ò homo, profiteri quod credis, aut fruſtra credis, ſi ita non profiteris, & meritò hæreticus denotaris.* *S. Greg. Nazianz. orat. 49.* Si ergo ex Sacris Litteris excludere nequeunt Cultum Reliquiarum Sanctarum, cur redarguere nos volunt in una vocula,

quæ indicativa eſt, qualiter Deum adoremus, qualiter Sanctos honoremus? Iterum textum adducunt: *Deum adorabis, & illi ſoli ſervies*; & pariter Ariani dicebant: *Pater major me eſt*. Non terruit Patres Nycænos Primos, & totum Catholicum Cætum textus ab Arianis adductus, ſed communi ſenſu interpretabatur de majoritate Patris ſupra humanam, quam aſſumpſit Filius naturam: Ita textus, qui à Vigilantianis exhibetur de Latriæ Cultu abſoluto, de Duliæ intelligitur: *Quod ſi rurſus* (lubet cum Athanaſio concludere) *quia voces iſtæ in Scripturis ſolemnes non ſint obmurmurationes faciant, æquum profectò eſt, ut ea de cauſa ipſi potiſſimum rejiciantur, utpotè locodedali novorum vocabulorum, & quod magis, & ſanis ſententiis non utentes, ſeque ipſi in hoc negotio incuſant, quod primi hujus rei occaſionem præbuerunt, dum ex non ſcriptis vocibus Deo bellum comparant, ſed tamen cognoſcet quiſquis eſt ſtudioſioris animi has voces tamen, & ſi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eas eam ſententiam, quam Scripturæ volunt, & ob ipſam eas ſonare apud illos, quibus aures ad pietatem ſunt integræ, & minimè vitiatæ.*

S. Athanaſ. lib de Nicæna Synod.

Alia, quæ Vigilantius, Hieronymo referente, ac confutante in Epiſtola ad Riparium, objecit, nullius ponderis ſunt: Separata à Corpore Anima, vilis, inquit, pulviſculus remanet omnibus communis, & contemnendus, ſed cum ſuperiori parte fuerit oſtenſum pulverem iſtum auro, gemmiſque pretioſiorem, ac quid quid intercedat diſcrimen inter Cineres Pauli Doctoris Gentium, & Judæ Proditoris Chriſti, nunc tantum addere juvat: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur*. Deſertus ſit ad tempus ab Anima pulvis Sancto-

Pſalm. 33.

Digitized by Google

ctorum, adhuc honorandus eſt, quia ſub cuſtodia Domini manet glorificandus, intromittet iterum in oſſa ſpiritum, & vivent, expectant donec impleatur numerus Juſtorum, quo impleto vindicabit Dominus Sanguinem Sanctorum ſuorum, qui effuſus eſt, reddet retributionem ſuperbis, qui humiliari ante ſacratos Cineres noluerunt, & mutuata voce ab impiis dixerunt: *Unus eſt interitus hominum, & jumentorum, æqua utriuſque conditio*. Videbunt tunc inſenſati Vigilantiani, qui reputant modo Cineres ſine honore, quæ erit gloria illorum, & qui redditur à nobis Cultus initium illius gloriæ eſſe, quam & nos Catholici, Deo miſerante, Corporibus noſtris non defuturam ſperamus poſt finale Judicium. Utinam qui remanent heterodoxi Vigilantio adhærentes convertantur, & nobiſcum venerentur Sanctorum Reliquias, ut cum mortale hoc induerit immortalitatem, corruptibile incorruptionem, poſſint una cum Deo, & Sanctis congaudere in Cœleſtibus.

Eccle. 3. 19.

Dolet inſuper Vigilantius apud Hieronymum, quod lucente Sole cærei accendantur ad Martyrum Sepulcra, quaſi emendicemus lumen ſplendente in Orbe Sole, ſed abundè reſpondet Hieronymus, & nos defendentes ritus ſacros plura dicemus, Interim ſileat Lutherus non extare ea, quæ Vigilantius ſcripſit adverſus Sanctarum Cultum Reliquiarum. Nihil Hieronymus omiſit, & retulit, quæ Caupo ille Calaguritanus eructavit, imò cum nuntiatum eſſet Hieronymo, quod bellum tentaſſet adverſum Sanctos Dei, illicò ſe paravit, ut Sanctorum cauſam defenſaret, at cum Riparius non particularia ſcripſiſſet, quæ blaſphemabat hæreſiarca, ſubdit Hieronymus: *Plura dictare volueram, ſi non epiſtolaris*

Epiſt. ad Riparium.

Digitized by Google

laris brevitas pudorem nobis tacendi imponeret, & ſi librorum ipſius ad nos voluiſſes mittere cantilenas, ut ſcire poſſemus ad quæ reſcribere deberemus: Nunc autem aerem verberamus, & non tam illius infidelitatem, quæ omnibus patet, quam noſtram Fidem aperuimus. Cæterum ſi volueris longiores nos adverſus eum librum ſcribere, mitte nænias illius, & ineptias. Cum demum reſciviſſet ex Ripario Sanctus Doctor particulares nænias, ſeu cantilenas, vel fatui hominis ſomnia, munus ſuum implevit, & imperiti Vigilantii hæreſim omnem jugulavit inquiens: *Sed jam tempus eſt, ut ipſius verba ponentes ad ſingula reſpondere nitamur, fieri enim poteſt, ut rurſum malignus interpres dicat fictam à me materiam, cui rethorica declamatione reſpondeam, ſicut illam quam ſcripſi ad Gallias Matri, & Filiæ inter ſe diſcordantibus. Authores ſunt hujus dictatiunculæ meæ Sancti Presbyteri Riparius, & Deſiderius, qui Parochias ſuas vicinia iſtius ſcribunt eſſe maculatas, miſeruntque libros per Fratrem Siſinium, quos inter crapulas ſtertens evomuit.* En qualiter extant deliramenta Vigilantii, ſed quia optimè eluſa vidit Lutherus per Hieronymum, dixit non ſupereſſe monumenta Vigilantii. Videamus modo, an meliora ſcripſerint alii ex Dormitantio deſcendentes hæretici.

Hieron. Epiſt. 54. cap. 2.

CA-

CAPUT II.

Quæ proponuntur à Witcleph contra Martyrum Reliquias rejiciuntur.

VVitcleph natione Anglus Lutheranorum, & Calviniſtarum prodromus junxit ſe antiquorum hæreticorum turmis, indixitque bellum Sanctorum Reliquiis repetens, quæ de Deo adorando protulerunt Eunomiani, ſeu Vigilantiani addens: *Solus Deus eſt orandus, ergo ſolus Deus adorandus. Cum orandi modum ex Magiſtro Chriſto poſcerent Apoſtoli, ſub his verbis formam habuere præſcriptam: Pater noſter, qui es in Cœlis &c. nulla mentio fit in prædicta oratione Chriſti, aut Sanctorum ejus, nullus ergo Cultus exhibendus, ſi nullæ preces, aut orationes ad illos ſunt dirigendæ.* Demum peſſimus Cavillator ſic ratiocinatur, ſeu potius ſic inſanit: *Quæ poterit eſſe ratio ſic adorandi Creaturam? Non enim propter ſe Creaturam; quia tunc omnis Creatura eſſet adorabilis: ſi propter quia in ea gratia, & magnificentia Conditoris elucet, adhuc modulus ſtraminis eſſet colendus Latria, quia in eo elucet eximiè gratia, & omnipotentia Conditoris.* Ex his deinde tranſit ad reprobandum ornatum Sepulcrorum Martyrum dicens libro 2. de Serm. Domini in Monte Cap. 17. *Quid rogo valet ornare Sepulcra Hominum mortuorum, & in iſta hypocriſi laborare? Nam nec Animæ, nec Corpora ſunt nunc in iſtis Sepulcris, quæ incolunt, collocata, & tamen ex Fide patet, quod Chriſtus eſt eſſentialiter in qualibet Creatura, & virtualiter ſecundum humanitatem per omnem partem Eccleſiæ Militantis: quare ergo non honoramus iſtud* Ca-

Apud Thom. Valdenſem Carm. To. 2. Tit. 13. Cap. 128.

Digitized by Google

Caput Eccleſiæ, & hypocriſim Sepulcrorum dimittimus? Hæc Witcleph blaſphemavit in Sanctos Dei, referente præſtantiſſimo Theologo Valdenſi Thoma Carmelita. Nunc ſingula perſcrutemur, ut appareat ſpiritu mendacii illum fuiſſe ductum, ac gloriæ Sanctorum invidiſſe, & cum ob reprobos mores, Aſini Sepultura ſe tumulandum timeret, diſplicuit

Eſaiæ 11. 10. ei Eſaiæ vaticinium de Chriſto, & Sanctis ejus: *Et erit Sepulcrum ejus glorioſum.*

Concludendi leges addiſcat Witcleph, & deinde ſermonem proferat, ut audiatur: nulla in verbis iſtis connexio elucet: *Solus Deus orandus ergo ſolus adorandus. Aliud*, inquit Auguſtinus, *eſt*

Aug. Tom. 6. *cont. Maxim.* *interpellare, vel orare, aliud adorare. Omnis qui rogat orat, non omnis qui rogat adorat. Recole conſuetudinem Regum, qui plerumque adorantur, & non rogantur, aliquando rogantur, & non adorantur.*

Geneſ. 22. Adoravit Abraham plebem Filiorum Het, non oravit tamen: David adoravit Arcam, non oravit illam: Crucem Domini adoravit Helena: Paula Romana Præſepe Domini: Hieronymus loca ſancta inviſit, & adoravit, & nos inſtrumenta Dominicæ Paſſionis adoramus, Cineres Sanctorum omnium veneramur, & non adeo habetes ſumus, & dijudicemus orandum eſſe Crucem, Clavos, Lanceam, Præſepe, Veſtes, Cineres: non adeo nectuntur ad invicem adorare, & orare, ut ſi unum aſſumatur, aliud conſtringatur. Quando regnabimus cum Chriſto poſt finale Judicium non ceſſabimus Deum collaudare, & adorare, ſed expulſa omnium rerum indigentia, nihil poſtulabimus à Domino; adorare alterius excellentiam reſpicit: hæc eſt vel ſuprema & abſoluta, uti in Deo uno in ſubſtantia, & in Perſonis trino, & tunc Cultus noſter eſt ſupremus, & ab-

& abſolutus, & nulli puræ Creaturæ debetur. Cæterum cum ineffabilis illa Bonitas Divina communicaverit excellentiam ſuam rationalibus Creaturis, ideo Cultus aliquis redditur juxta majorem, vel minorem participationem. Deiparæ Virgini ob Divinorum Chariſmatum abundantiam Cultus hyperduliæ deberi profitemur, & gloriamur, Sanctis Duliæ adſcribimus Cultum. Summus igitur, qui Latriæ dicitur ſoli Deo debetur, medius Virgini, minor Sanctis.

Sed cum honor, qui jure debetur perſonis, expoſcat, ut ea, quæ ad illam pertinent pariter veneremur, hinc quæ ad Chriſtum ſpectant, cujus Perſona Divina eſt, latriæ Cultu honoramur, uti patet in Cruce ob contactum, vel quia Imago eſt Crucifixi, ſicque protrahendo ſermonem ad alia, quæ vel Virginem, vel Sanctos afficere poſſunt intrinſecè, aut extrinſecè, eodem Cultu, quo Virginem ipſam, & Sanctos honoramus. Deridendo nobis proponunt heterodoxi adoranda labia Judæ, Aſellum, & impiorum manus, quæ habuere contactum ad membra Chriſti. At Religio Chriſtianorum nunquam metuit chachinnos Paganorum, Judæorum, & Hæreticorum. Regiam Purpuram venerantur homines propter Regem, at non alia, quæ aliquod indecens redolent, aut Regem offendere poſſunt. Eſto nonnulla habuerint contactum ad Chriſtum, tamen ratione ſcandali, aut alterius indecentiæ, non adorantur, uti de Aſello, cui inſedit Dominus. Si quæ autem rationales Creaturæ habuere contactum, aut fuit offenſivus Chriſti, ut oſculum Judæ, & manus Crucifigentium, & ex actione culpabili honor non comparatur, ſed vituperium: aut contactus fuit reverentialis, & adhuc

propter illum non adoramus Creaturam rationalem, quia Cultus debitus Chriſti Reliquiis, latriæ oportet eſſe, hunc autem nulli rationali Creaturæ exhibemus, nè aliqua Creatura latria propter ſe adorari videatur. Lubet hic tranſcribere verba Angelici Thomæ ſic loquentis: *Creaturæ rationali debetur reverentia propter ſe ipſam, & ideo, ſi Creaturæ rationali, in qua eſt Imago Dei, exhiberetur adoratio latriæ, poſſet eſſe erroris occaſio, ut ſcilicet motus adorantis ſiſteret in homine in quantum eſt res quædam, & non ferretur in Deum cujus eſt Imago. Quod non poteſt contingere de Imagine ſculpta, vel picta in materia ſenſibili.* Habes ex hac doctrina verè Angelica, quare adoremus inſtrumenta Paſſionis Chriſti latriæ Cultu, & puriſſimæ Dei Matri, quæ Filium ſuum Jeſum novem Menſibus geſtavit in utero, ubere de Cœlo pleno lactavit, toties accepit in ulnas, toties reverenter fuit oſculata, latriæ Cultum non reddimus: immò cum quidam offerre placentam Mariæ tanquam Deæ auſi fuiſſent, inter hæreticos computati ſunt, & Colliridiani dicti ſunt, ut edocuit nos Epiphanius in ſuo quod conſcripſit adverſus hæreſes volumine. Quid impii Novatores nobis objiciunt labia Judæ proditoris, cum virginea, & ſanctiſſima labia Mariæ, quæ ſola interemit cunctas hæreſes in univerſo Mundo, dignam Cultu latriæ non judicemus? Eccleſia Catholica, quæ ſpiritu Dei ducitur, ſicuti damnavit exceſſivum Cultum Colliridianorum, ita defectum reprobat Lutheranorum, & Calviniſtarum. Semper extrema amplectuntur hæretici, & ſub fucato Religionis prætextu veram ſubvertere Religionem nituntur, ſed portæ Inferi non prævalebunt.

D. Thom. 3. par. quæſt. 25. art. 3.

Epiph. hæreſ. 79. lib. 3. to. 2.

Revertamur modo ad Orationem, tanquam me-

medium aſſumptum ab hæreticis ad probandum ſoli Deo Cultum eſſe tribuendum. Putaſne verum eſt quod dicunt: *Solus Deus orandus*? Quomodo ergo dicitur: *Voca ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere*; & rurſum: *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*; brevis eſſe cupio plura dicturus ubi de invocatione tractabimus, attamen obvia eſt legentibus oratio, quam ad Job direxit Origines: *O beate Job vivens in perpetuum apud Deum, & victor permanens in conſpectu Regis Domini ora pro nobis miſeris, ut etiam nos terribilis Dei miſericordia protegat in omnibus tribulationibus, & eripiat ab omnibus oppreſſionibus maligni, & connumeret nos cum Juſtis, & conſcribat nos cum his, qui ſalvi fiunt*. Perlegant antiquas lyturgias Witclephiſtæ moderni, & inſpicient repoſitam ibi Sanctorum invocationem. Conſulant Cyrillum Alexandrinum homilia die Joannis Evangeliſtæ coram Patribus Epheſinis habita, & dilectum Chriſti Diſcipulum exoratum intelligent, ut aperiret Myſterium Dominicæ Incarnationis contra Neſtorianam perfidiam: *Myſterium hoc aperi ò Evangeliſta: Effare nobis ò Beate Joannes magnum quippiam, & eximium. . . . Ecce hic tantorum Paſtorum cœtus ad te venit, remove nobis lapidem, ſicuti Beatus Jacob paſtoribus Haran: Reſera nobis puteum vitæ, da ut nunc quoque de fontibus hauriamus, immò verò tuum nobis fontem appone*. Similia habent Patres Chalcedonenſes actione undecima: *Flaviano æterna memoria: Ecce ultio, ecce veritas: Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis oret. Obſecrandi ſunt*, clamat Ambroſius, *Angeli pro nobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt: Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quodam Corporis pignore patrocinium*

Job 5.

Apocalypſ. 8.

Origen. lib. 2. ad Job.

Ambroſ. lib. de Viduis.

vendicare: Poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine, etiam ſi quæ habuerunt peccata, laverunt .... Non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitates Corporis, etiam cum vincerent, cognoverunt. Quapropter ſanctè decreverunt Arelianenſes Patres Rogationes, ſeu Lætanias ante Aſcenſionem Domini celebrari concurrentibus in eandem ſententiam Patribus Toletanis in Concilio quinto, Gangrenſibus, & Bracharenſibus, ac demum tota univerſali Eccleſia approbante, ac ſequente illum piiſsimum morem orandi, & obſecrandi Sanctos; Etenim: *Oratio alicui dupliciter porrigitur, uno modo quaſi per ipſum implenda, alio modo, ſicut per ipſum impetranda. Primo quidem modo ſoli Deo Orationes porrigimus, quia omnes Orationes noſtræ ordinari debent ad gratiam, & gloriam conſequendam, quam ſolus Deus dat juxta illud Pſalmi* 83. *Gratiam, & Gloriam dabit Dominus, ſed ſecundo modo Orationem porrigimus Sanctis Angelis, & hominibus, non ut per eos Deus noſtras petitiones cognoſcat, ſed ut eorum precibus, & meritis Orationes noſtræ ſortiantur effectum*; Itaque ſi Adverſarii velint, quod ſolus Deus ſit adorandus, tanquam ſupremus Dominus, & largitor Gratiæ, & Gloriæ, nullum jurgium erit inter nos. Sic enim ſolum Deum oramus, & adoramus, ſed ſicuti alius ſupereſt modus orandi Sanctos, ut Interceſſores apud Deum, ita, & odorandi eoſdem Sanctos ut Amicos Chriſti, & hæredes, & Filios Dei: *Quotquot enim receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*; & honor, qui ad fideles conſervos, devotos filios refertur, demonſtrationem habet bonæ voluntatis, quæ eſt ad communem Dominatorem. Repetat hæreticus: *Solus Deus eſt oran-*

D.Thom. 2. 2. quæſt. 83. artic. 4.

Joann. 1.

orandus, ergo ſolus adorandus. Clamabit Catholicus ſolus Deus adorandus ut Dominus, ſolus adorandus ut Largitor bonorum, Sanctos oramus ut Interceſſores apud Dominum, Sanctos colimus ut Amicos Dei, non ut Deos. Nunquid Paulum Jovem, aut Barnabam Mercurium dicimus, uti Ethnici faciebant? Abſit hoc à nobis, non ita deſipimus: Scimus quid interſit inter ſummum angularem lapidem Jeſum, & Apoſtolos ejus Barnabam, & Paulum, ſuperædificati tamen ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, & eos veneramur ut dilectos Dei, eoſque oramus, ut bona ipſis intercedentibus, Deus nobis largiatur. Sed ſatis jam ſit de primo, quem contra nos direxit Witcleph ſermonem; videamus quid in altero dicat: *Elucet*, inquit, *in omni Creatura Gratia, & Omnipotentia Conditoris, omnis itaque Creatura adoretur adoratione latriæ, & modulus ſtraminis adoretur*. Verè ſtramineus diſcurſus. O inſanum caput quis te cogit adorare omnia? Si elucet Majeſtas Dei, & Omnipotentia in omnibus, adora Deum in omnibus, non adores omnia: Vides ornatum Cœli lauda Deum Cœli: Inſpicis Terram, adora eum qui fundavit Terram ſuper ſtabilitatem ſuam: Vides pulchra, dic Domino tuo pulchrior eſt, qui fecit illa: Vides bona, melior eſt qui fecit ea; & ſi Deus per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil debeat honorari in omnibus, non tamen omnia adoranda ſunt. Neſcis quid edocuerit nos Apoſtolus: *O homo tu quis es ut reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit; quid me feciſti ſic? At non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas ad honorem, aliud verò ad contumeliam?* Diſce ergo ex Paulo in eadem domo *Ad Roman. 9.*

vaſa

Digitized by Google

vaſa alia eſſe aurea, alia argentea, alia ænea, alia fictilia: Vis pro eodem reputare vas aureum, & fictile, argenteum, & æneum? Qui ornant menſam pro Rege, nunquid omnia vaſa, quæ Regis ſunt apponunt? Defer vas in contumeliam efformatum, placebit Regi talis ornatus menſæ? Tene ergo Apoſtoli ſententiam. Conditorem omnium nonnullas Creaturas efformaſſe ex eadem maſſa, ut eſſent in honorem, aliquas voluiſſe, ut venerentur, non omnes, ut ſic operando oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Eſto eluceat aliquid de Creatore in qualibet Creatura, ſat eſt hoc quidem, ut adoretur Creator, non ut colatur Creatura; divitias gloriæ exigit, ut Creatura ſit in honorem: *Non enim omnes, qui ex Iſrael ſunt; hi ſunt Iſraelitæ. Non qui Filii carnis hi Filii Dei, ſed qui Filii ſunt promiſſionis æſtimantur in ſemine.* Non eſt motivum Cultus Sacri aliquod, quod commune inveniatur in omnibus, ſed quod peculiare eſt donatum à Deo eminentia ſanctitatis, & virtutis, deſideratur ad reverentiam exhibendam, quam cum inſpiciamus in Sanctis, meritò reveremur, & colimus, & extendimus ad eorum Cineres, aliaſque Reliquias, quia ut quid unum moraliter cum illis reputantur, vel ipſorum ſunt tamquam partes intrinſecè olim reuniendæ, ut Prima Parte Cap. 1. explicare conati ſumus, vel contactum ſpecialem habuerunt, vel demum ut Imagines, quæ per ordinem ad prototypum honorantur. Modulus ergo ſtraminis comburatur cum hæreticis proponentibus.

Ad Rom. 9.

Quod tertio loco adducit de hypocriſi removenda ab Eccleſia circa ornatum ſepulcrorum hominum mortuorum, quia ibi non reſident, nec Anima,

ma, nec Corpus: Zelum quidem oſtendit, quem, & imitatus fuit Lütherus ad Evangelium primæ Dominicæ Adventus, inquiens: *Hic Petro, hic Paulo Ædes erecta eſt, ut omnes ferè anguli Divorum Phanis pleni ſint, at cui uſui ipſis illa? His ſumptibus indotatis virginibus conſuli poterat, & alia majoris momenti opera patrari.* Sed zelus iſte zelus eſt Judæ proditoris, qui redarguit factum Mariæ Magdalenæ ungentis pedes Jeſu. Dò textum: *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici pretioſi, & unxit pedes Jeſu, & exterſit pedes Jeſu capillis ſuis, & Domus impleta eſt ex odore unguenti; dixit ergo unus ex Diſcipulis ejus Judas Iſcariotas, qui erat eum traditurus, quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt ægenis? .... Dixit ergo Jeſus, ſinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud.* Audi Luthere, audi Witcleph, audite omnes Sanctorum perſequutores. Sinite quod Eccleſia aliquid inſumat in ornatu Templorum pro Sepultura Sanctorum, ne ſitis Diſcipuli Judæ Iſcariotes clamantis: *Quare hoc unguentum non veniit, & datum eſt ægenis? His ſumptibus conſuli poterat indotatis virginibus.* Evangeliſta Joannes reſpondebit vobis: *Dixit autem hoc, non quia de ægenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat.* Commendanda ſunt pietatis viſcera erga Pauperes, at non detrahendum cum Juda, ſi eroget quis de ſubſtantia ſua in ornatum Templorum: oportet unum facere, & aliud non omittere. Quot talenta auri David præparavit pro Templi ſtructura, quot addidit Salomon demum per Gentes deſtructum, iterumque ædificatum, quis valeat computare ſumptus auri, argentique pondus? Conceſſa pace ad tempus Machabæis, primum quod excogitarunt fuit aſcendere Jeroſolymam, mun-

Joan. 12.

Joann. citato loco 12. 6.

1. Machab. 4.

Digitized by Google

mundare Sanɛta, & renovare, & ornaverunt faciem Templi coronis aureis, & Scutulis, & dedicaverunt Portas, & Paſtophoria, & impoſuerunt januas. Dixiſſet Judas proditor: *Ut quid perditio hæc?* Repeteret Lutherus: *His ſumptibus indotatis virginibus conſuli poterat, & alia majoris momenti opera patrari.* Approbavit tamen Dominus, quod Judas, & Lutherus condemnarunt. Dolent, quod paſſim ædificantur Deo Templa in honorem Petri, Joannis, Pauli, ut ferè omnes anguli pleni ſint. Utinam verum, quod nobis opponunt, ex augumento laboris hæreticorum, leniretur dolor noſter: Ceſſaret gemitus Catholicorum elevantium voces ſuas: Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam; venit Maumetus, venit Lutherus, venit Calvinus polluerunt Templum Sanɛtum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam. Quot Templa dextruɛta per Saracænos in Aſia, & in Africa. Quot everſa per Zuinglianos, Calviniſtas, & Lutheranos in Helvetia, Anglia, Dania, Olandia, aliiſque Germaniæ Provinciis? Si nos in omni angulo, in quo viget Cultus Summi Dei, veri Dei ædificamus, in quo vobis moleſti ſumus, aut in quo Deum offendimus? Fortaſſis Templa vos deſtruendo, expoliando Monaſteria, diripiendo vota Fidelium, patrimonia Pauperum, dotaſtis Virgines, aut alia majoris momenti opera perpetraſtis? Si de Luthero ſermo ſit defloravit, non dotavit. Pudet dicere, quæ faɛta referuntur à Calvino, & ſi vera fateri voluerint qui ſunt heterodoxi, ex tot divitiis acceptis ditiores, ſed non meliores faɛti ſunt. Reponat ergo Lutherus de Templis noſtris, & cui uſui ipſis illa? Si velint ſcire uſum ingrediantur, & Sacerdotes Deo pſallentes invenient, alios inſpicient abſolventes; alios

alios abluentes Infantes per Sacramentum Regenerationis, alios ſoli Deo ſacrificantes, eique gratias agentes, quia coronavit Sanctos ſuos. En cui uſui ſint nobis Templa; quod ſi aliquando non ea, quam deceat, devotio ſplendeat: uti abuſus reprehenditur, nec deficiunt Sacerdotes diligentes decorem Domus Dei, & locum habitationis gloriæ ejus, adeoque, qui totis viribus annuntient illud: *Domus mea Domus orationis vocabitur*; & quod ibi adeſſe debeant Fideles, ut dimittantur, non ut commitant peccata. Si quem alium uſum deſiderat, ille erit, ut reparetur honor Dei per ædificationem Templorum, qui fuit ſublatus ab hæreticis per deſtructionem. *Matth.21.13.*

Quid eſt, quod demum clamat Witcleph: *Honoremus Caput Eccleſiæ Chriſtum, & dimittamus hypocriſim Sepulcrorum*. Putas non honoramus Chriſtum, quoties Altaria erigimus, & ibi offerimus Sacrificium? Audivit nè unquam nos dicentes: Offerimus tibi Petre, offerimus tibi Paule, offerimus tibi Cypriane? Domino offerimus, non Servis Sacrificium reddimus. Recolimus per Sacroſancta Myſteria Paſſionem Capitis noſtri quotidiè, & per incruentum Sacrificium Dominum laudamus in Sanctis ejus. Quæ hypocriſis iſta? Et ſi non adſit Anima præſens in loco, illorum Sanctorum, quorum memoriam celebramus, ideo non erit Deo acceptum Sacrificium expiativum noſtrorum delictorum, & gratiarum actionis pro victoria collata Sanctis ex meritis Jeſu Chriſti Servatoris noſtri Dei? Inſigne autem mendacium eſt, quod in Eccleſiis noſtris non ſint Reliquiæ Sanctorum. A Patribus noſtris cautum eſt, nè ſint Altaria abſque Reliquiis Martyrum. Patres Charthaginenſes ſu-

Digitized by Google

perius dedimus, plura hic repetere non eſt neceſſe. Quod ſi Templa adhuc extarent omni prorſus Sanctorum Reliquia deſtituta, adhuc non inutilia eſſent, nec illorum erectio contemnenda, cum princeps motivum ſit Deum ibi ſpecialiter adorare, deinde Sanctos honorare, qui cum eodem Deo in Cœleſti manſione regnant ſine fine permanſuri. Concludat demum hoc Caput celebris authoritas Auguſtini libro ultimo de Civit. Dei Cap. x. *Nos autem Martyribus noſtris non Templa, ſicut Diis, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum, & noſtro Sacrificium immolamus, ad quod Sacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco, & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippè, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoriam ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum. Ipſum verò Sacrificium Corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.*

CAPUT III.

Ex occultatione Corporis, ac Sepulturæ Moyſis non infertur Sanctorum Reliquias non eſſe honorandas.

CAlviniſtæ tanquam invincibile argumentum nobis proferunt Scripturæ teſtimonium Deuteron. 34. *Mortuus eſt ibi Moyſes Servus Domini in Terra Moab jubente Domino: & ſepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque ad præſentem diem.* Ideo ſepultum,

tum, inquiunt, per manus Domini Moyſis Cadaver, nè Populus ille duræ cervicis ſupremos exhiberet honores mortuo homini, ſicuti nos Papiſtæ facimus; nè idololatrandi foret occaſio, Sepulcrum Legislatoris cautum eſt, ut homines ingnorarent; hinc Diabolus cum deſideret idololatriam in Mundo, revelare voluit locum ſepulturæ Moyſis Servi Dei, & altercatio magna ſubſecuta cum Michaele Archangelo prohibente, nè palam faceret id, quod occultum cuſtodivit Deus, nè Populus electus contaminaretur ſuper mortuo, deſerens Cultum Domini Dei ſui, iterumque currens ad Idola Gentium. De hac altercatione ſermo nobis eſt in Canonica Epiſtola Judæ ſub his verbis: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſis Corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus*. Interpretes doctiores utrumque laudatum textum communiter explicant: ideo Deum abſcondiſſe Corpus Moyſis, ut ſubtraheretur Hebræis idololatrandi incitamentum, quod intelligens Dæmon, locum, & Corpus oſtendere nitebatur, ut ruerent homines in graviſſimum Idololatriæ crimen: Compeſcuit tamen audaciam Michaël, dicendo: *Imperet tibi Deus*. Ad hæc addi poſſet, quod ſi licitus redderetur Cultus aliquis exhibendus Cadaveribus, ſive Cineribus, aut Sanctorum Reliquiis abſque macula peccati, & periculo Idololatriæ, deberi Moyſi, qui vidit Deum facie ad faciem, privilegium adeo eximium, ut per Angelicum Magiſtrum nulli alteri legatur præter Paulum in Scripturis conceſſum, itemque gratitudo Iſraelitici Populi erga Liberatorem, Conductorem, & Legislatorem ſuum hoc exigere videbatur, & quamvis ille Populus pronus eſſet ad

Digitized by Google

idololatrandum, præmiſſa admonitione Dominica, ac diſtinctione Cultus ſupremi, & non ſupremi, poterat longè eſſe periculum, & reddi Moyſi, quod ei jure debitum apparebat: at cum oppoſitum factum perlegatur, datur intelligi non poſſe abſque ethnica ſuperſtitione Sanctorum Cadavera, vel Reliquias Cultu Sacro honorari, & diſtinctio illa Cultus à nobis excogitata exorta dubitatur ex prophanis Gentilium libris, qui cum plures admitterent Deos, non æquales omnibus tribuebant honores, unumque Jovem ſupremum fatebantur, alioſque inferiores non negabant.

Prolixiores fuimus in proponendo, non timentes addere etiam ea, quæ dici poſſunt ab Adverſariis, quo notum fiat nos haud fugere quid difficultatis ſit in Cultu Sanctarum Reliquiarum, ſed pro viribus ſolvere, ut inſpecta veritate, redeant ad unitatem, qui nos conturbant. Adductum modo teſtimonium Scripturæ conſiderare libet, ut quid nos edoceat intelligamus. Jubente Domino Moyſem legimus mortuum, ac per manus illius ſepultum. Felix mors, quæ jubente Domino advenit, & per manum ejus ſuſcepta eſt à mitiſſimo Legiſlatore. Incomparabilis honor Cadaveris Moyſis, ad quod ſepeliendum adjutrices manus Domini concurrerunt. Cui unquam mortalium tantum delatum eſt honoris, quantum Corpuſculo Moyſis? Poterat Corpus illud à fulmine abſumi, ſicuti factum dicitur de Simone Stylita: poterat terra aperiri, & recludere: poterat ignis deſcendere, & in pulverem reſolvere: poterat demum aliis infinitis modis celare Corpus illud Omnipotens Deus: non fecit tamen, ſed illud ſepelivit. Si ex hoc vos judicatis nullum deferendum honorem Cadaveribus San-

Digitized by Google

Sanctorum, cur ſpiritus veritatis teſtatus fuit in Scripturis: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in Terra Moab jubente Domino: & ſepelivit eum in valle Terræ Moab contra Phogor*? Si ſervus Regis mortuus humaretur per manus Regis, quis adeo demens eſſet, ut concluderet Regem judicare ſervum indignum honore? Duo velim, ut notent Calviniſtæ, unum delatum Moyſi, alterum ſubtractum Hebræis. Primum, ut Corpus Moyſis ſepeliretur à Domino, ſeu miniſterio Angelorum terræ traderetur, & hoc eſt indicativum honoris. Secundum, ut locus ſepulturæ ejus ignotus eſſet Hebræis, & hoc fuit, ut ſubtraeretur honor ſupremus, & indebitus, qui redderetur ab illo Populo. In facto ergo Moyſis, quod tanti faciunt heterodoxi, advertant quomodo ſuaviter, & fortiter diſpoſuit omnia ineffabilis Providentia Divina, ut honoraretur Servus à Domino, & tolleretur occaſio ſervili Populo honorandi Moyſem ut Dominum. Non recedimus à plurium Doctorum ſenſu, non cognoviſſe hominem ſepulcrum ejus, nè Idololatriæ crimine contaminaretur Hebræorum gens, ſed hoc ideo fuit, ob ruditatem Populi, ob propenſionem ad Idololatriam, ſed illuceſcente veritate Evangelii, Apoſtolorum prædicatione ſubſequente, Idola Gentium dextructa ſunt, & periculum ſubmotum eſt; quotquot Chriſtiani ſumus ſcimus quod ſcriptum eſt: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, *Ad Epheſ. 4. 5.* nec ad muta Simulacra currimus; & ſi quilibet agreſtis homo interrogetur an Sanctos colat, ut Deos, illicò reſpondebit: Unus eſt Deus: Sancti Amici Dei. At facilè coluiſſent ad inſtar Numinis Moyſem Hebræi, & quamvis ipſi non ignorarent ſupremo Cultu puram Creaturam non eſſe adorandam, occa-

occaſione tamen accepta ad Idola Gentium convertebantur. Tot prodigiis ab Ægyptiorum ſervitute liberatus Populus ille, nonnè illicò in Ægyptum
Num.21.5. revertere optabat? Cœli deliciis paſtus dixit: *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*; & cum Moyſes Legem de manu Domini recepturus, per aliquot dies in monte moram traxerit, congrega-
Exodi 32. 1. tus Populos adverſus Aaron dixit: *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de Terra Ægypti ignoramus quid acciderit?* Et cum Aaron nimium indulgens, feciſſet opere fuſorio ex inauribus vitulum conflatilem dixerunt:
Ibidem. *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* Vide dementiam, ac cæcitatem Populi: fatetur ſe eductum ab Ægypto per Moyſem, vult Deos qui præcedant: efformato unico vitulo, clamant: *Hi ſunt Dii tui, qui te eduxerunt*, & qui paulò ante confitebantur beneficium acceptum per Moyſem, modo totum denegant Moyſi, ut totum donent vitulo. Si ergo remanſiſſet Corpus Moyſis totum illi tribuiſſent, totum Deo denegaſſent. Similem reddimus nos Papiſtę Cultum Sanctis noſtris, eorumque Reliquiis? Abſit à nobis hæc Judaica perfidia, hæc in nos putida calumnia Calviniſtarum. Eſto deberetur aliquis ſacer honor Conductori, ac Legislatori Moyſi, aut nullum reddidiſſent, uti faciunt quos impugnamus hæretici, aut Divinum impendiſſent, ſicuti vitulo fecere: quare acutiſſimè de more reflectit Chryſoſtomus Homilia quinta in Matth., Deum diſpoſuiſſe, nè Iſraeliticus Populus per Myſem in Promiſſionis Terram non introduceretur, nè omnia beneficia in illum referret cum oblivione Domini Dei ſui, ſicut pluries accidiſſe ſacrum teſtatur Eloquium: ut igitur omnis hujuſ-
mo-

Digitized by Google

modi amputaretur occaſio, ipſum quoque ejus eſt occultatum ſepulcrum. Plura referre ad oſtendendum motivum hoc non urgere in aliorum Sanctorum Corporibus, omninò ſuperfluum exiſtimo. Immò, & ſi ſubeſſet periculum in ſepulcro Moyſis manifeſtato, extendere ad alia monumenta Sanctorum Patriarcharum, contra ſenſum Scripturæ apparet. Notum enim erat ſepulcrum Abraham, Iſac, & Jacob, Liæ, & Rachelis, & Joſeph; notum Eliſei, ad quod revixit homo, & ſtetit ſupra pedes ſuos, quare Matth. 23. habemus Judæos uſque ad ea tempora ædificaſſe ſepulcra Prophetarum, & ornaſſe monumenta Juſtorum. Et quamvis Calviniſtæ putent ex laudato textu reprobari Cultus Sacrarum Reliquiarum, quia præmittitur comminatio ſub illis verbis: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta Juſtorum*. Attamen, nec ullum verbulum eſt, quo demonſtretur quod vellent hæretici. Non enim Chriſtus redarguit Scribas, & Phariſæos dicendo, væ vobis Idololatræ, qui ædificatis, ſed væ vobis hypocritæ. Ornare monumenta Juſtorum ad Cultum, ut Idololatriæ crimen reputant Adverſarii; Chriſtus objecit hypocriſim, diſtinctum planè flagitium ab Idololatria. Novi interpretes hæretici pro eodem reputant. Enarrent aliquem ex Eccleſiæ Patribus ſic exponentem. Expectavimus à mille, & trecentum annis, & non apparuit niſi Lutherus, Calvinus, Dallæus, Witcleph omnes hæretici, omnes ab Eccleſia proſcripti, omnes ad tartara miſſi. Ædificare, & ornare monumenta Juſtorum, & Prophetarum, pium, & religioſum eſt, ſed quia Phariſæi hoc ex æmulatione, & vana oſtentatione faciebant, ut hypocritæ redarguuntur à Do-

Matth. 23. 29.

Digitized by Google

Ambroſ. ſuper Lucam Cap. 6.

Domino. Ambroſium profero: *Etenim propheticorum ædificatione Tumulorum ſceleris eos, qui occiderant arguebant, & ſimilium æmulatione factorum, ſe eſſe quoque declarabant paternæ iniquitatis hæredes, non igitur ædificatio, ſed æmulatio, loco criminis æſtimatur*. *Non Monumenta*, inquit Venerabilis Beda, *Prophetarum ornare, ſed interfectores Prophetarum imitari ſceleris eſt*. Cui conſentit Rabanus: *Simulabant quidem ſe ob favorem vulgi captandum Patrum ſuorum horrere perfidiam, memorias Prophetarum, qui ab eis occiſi ſunt magnificè ornando: Sed in ipſo opere teſtificantur, quantum paternæ nequitiæ conſentiant, Dominum, qui ab eiſdem Prophetis eſt prænuntiatus, injuriis agendo*. Hæc communis interpretatio Patrum, quæ quantum diſtet ab errore hæreticorum eoſdem Judices appello; & certè ſi totus integer textus perlegatur apparet, quod illa comminatio: *Væ vobis Scribæ*, non ſiſtit in ly *ædificatis*, ſed conjungitur cum ſequentibus: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui ædificatis ſepulcra Prophetarum, & ornatis monumenta Juſtorum, & dicitis. Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*. En objectum redargutionis integrum, qui legit intelligat, & caveat ab inſana interpretatione Novatorum. Væ vobis Calviniſtæ, qui ſub ſpeciæ pietatis deſtruitis Monumenta Sanctorum, & dicitis Deum eſſe colendum, & interim dehonoratis illum in Sanctis ſuis, & putatis obſequium præſtare Deo perſequendo quos dixit, & fecit amicos, filios adoptavit, & conſtituit hæredes. Octo comminationes, ſive væ, hæc ſcribens, numeravi in citato Capite Matth. contra Phariſæos, & Scribas, & ſolam hypocriſim reprehendunt. Nullus ſermo eſt de abrogando Cultu San-

Beda in Lucam lib. 4. cap. 4.

Rabanus Matth. 23.

Matth. 23. 29. 30.

Digitized by Google

Sanctorum. Nec jactent ſaltem hypocriſim eſſe honorare Cineres Juſtorum, & Prophetarum. In Phariſæis, & Scribis quidem dabimus hypocriſim fuiſſe, quia ex prava intentione procedebant, ut Plebis auram captarent, interimque dum ſe honorare fingebant Prophetas, à Prophetis pronunciatum Chriſtum occidere cogitabant, umbratilem, & fictitium Cultum Servis reddebant, & Dominum vitæ interficere incipiebant. At Chriſtiana, & vera Religio docet honorare Dominum in ſe, Servos, Amicos, Juſtos, Sanctos Domini propter Dominum: ſed ſatis quantum ad hoc ſuperius loquuti ſumus. Textum deindè Canonicæ Epiſtolæ Judæ quomodo faveat hæreticis haud facilè intelligo. In Canone Sacrorum Librorum non accipiunt, ex illa ergo deſumi argumentum non debet. Nos quidem à Spiritu Sancto dictatam veneramur, quia Catholica Eccleſia, quæ columna eſt, & fundamentum veritatis ita nos edocuit, & eadem Eccleſia admonet nullum extare Caput in Sacris Litteris, quo prohibeatur Cultus Sanctarum Reliquiarum. Spiritus Matris noſtræ eſt ſpiritus Unitatis, & Pacis, non vertiginis, repugnantia reprobat: ſtatuens itaque, quod Epiſtola ſit Canonica, affirmat aliter interpretandum textum, quam facitis vos. Quamvis ſi Patres conſulamus circa motivum recenſitæ altercationis inter Michaelem, & Dæmonem, Græci ſentiunt concertationem fuiſſe, quod Diabolus Moyſis Corpus expeteret propter homicidium in Ægypto commiſſum, & Michael ipſum defenſaret. Alii relati à Beda judicant textum eſſe intelligendum, non de Cadavere Moyſis, ſed de Corpore myſtico, ſcilicet de Judæorum Populo, quem à Diaboli inſidiis Michael protegebat. Alii demum, *Beda in hunc locum.*

Ambroſio narrante (ſi Sancti Doctoris ſunt Commentaria in Epiſtola ad Titum) volunt per Incantatorum præſtigias tentaſſe Dæmonem Moyſis Corpus ſuſcitari, ut idololatrandi foret occaſio, ſed reſtitit ei Sanctus Michael: quod inter fabulas computat ille Doctor. Sivè unam, ſivè alteram amplectantur Calviniani interpretationem, nihil eſt detractum honori, quem religiosè reddimus Cineribus Sanctorum. Demum ſi concedamus eo pari modo intelligendum eſſe textum Epiſtolæ Judæ Apoſtoli, ac Exodi 34. eadem adhibenda erit reſponſio, quæ ſuperius explicata eſt. A gentibus autem incepiſſe ritum noſtrum colendi Corpora Sanctorum à veritate omninò alienum eſt. Habuerint varietatem in reddendo honorem Diis ſuis Ethnici: coluerint cum diverſitate Deos terreſtres, vel marinos, montium, ac vallium, relinquimus perſcrutandum quibus familiare eſt in his libris verſari, & otium ſuppetit commorandi in vanis, certè mihi vacuum non eſt, totus præoccupatus ſum in heterodoxorum erroribus confutandis. Crediderim demonſtraſſe ſufficienter in priori parte unde ad nos defluxerit modus honorandi Corpora Sanctorum. Non oblivioni tradant, quod geſtum fuerit à Sanctis Mulieribus erga Corpus Dominicum: recolant quod Joſeph ab Arimathæa introivit audacter ad Pilatum, & petiit Corpus Jeſu; meminerint quomodo Angeli deſcenderint ad Sepulcrum Chriſti viſitandum poſtquam reſurrexiſſet, occurrerint illuc ſolando anxias Mulieres, revolverint cum omni veneratione veſtes, terruerint hoſtes, lapidem depoſuerint; mortem Ozæ non recordantur, qui auſus fuit tangere Arcam? David humiliatum repoſuimus: Sepulcrum Eliſei indicavimus: Sanctorum Pa-

Patrum teſtimonia dedimus: Miracula deſcripſimus. En unde ortum habeat Cultus noſter, & devotio noſtra, non à prophanis Gentilium libris. Errarunt quidem Gentes reddendo ſupremum Cultum Jovi tanquam Supremo Numini, qui erat vel ſpurciſſimus homo, ut iidem Ethnici teſtantur, aut Idolum, & ſcimus, quia Idolum nihil eſt in mundo; errarunt in diviſione Cultus, quia Deos multiplicabant, vel ſaltem quibus opprobria debebantur, honores reddebantur: *Omnes Dii Gentium Dæmonia, Dominus autem Cælos fecit.* Vix calamum cohibere poſſum quin exclamem, ò inſenſati Calviniſtæ: vidiſtis in Eccleſia Catholica ſacros adſcribi honores Dæmonibus? Antequam judicet Eccleſia, an aliquis ſit inter Martyres, & Sanctos adnumerandus, quæ, & qualia requirit? Nonnè expectat ſignum voluntatis Divinæ, quæ ſe manifeſtat per Miracula? Vidiſtis Creaturas coli ut Numen, & Deos reputari? Cur autem Deus voluerit potius donare nobis, quam illi Populo pleniorem cognitionem, niſi ſciremus abundè, quæ Deo tribuenda ſunt, quæ & Sanctis ejus? Noli velle inveſtigare, ſi non vis errare: gratias age Deo, quia cum oleaſter eſſes, inſertus es in bonam olivam. At non oliva eritis in Domo Domini, niſi deſinatis detrahere Amicis Domini, & revertamini ad Eccleſiam Matrem veſtram, quæ pro vobis lacrymas fundit, iterumque expectat, ut redeatis ad ſinum ſuum, & dicat: Filioli mei, quos iterum parturio donec efformetur in vobis Chriſtus. Utinam antequam moriar videam vos in unitate Eccleſiæ, & ſi vobis ignotus, non ceſſo quotidiè ſupplices manus porrigere ad Thronum Clementiæ, ut auferat à cordibus veſtris velamen, & cæcitatem, quæ ferè ſimilis eſt cum

Pſal. 95.

Judaica ruditate : Interceſſores apud Deum deprecor Sanctos, ut pro modico labore ad honorem illorum aſſumpto, Patrem Miſericordiæ vobis placatum reddant per Jeſum Chriſtum omnium Redemptorem.

CAPUT IV.

Dallæi diſcurſus confutantur.

DAllæus Calvinianæ Confeſſionis Miniſter in libro contra Latinorum Traditionem de Religioſi Cultus objecto multa congerit, ut oſtendat Sanctarum Reliquiarum honorem nuperum inventum eſſe : incognitum priſcis Patribus Chriſtiani nominis trium Sæculorum : nulla extare argumenta, quibus probetur vetuſtiſsimos illos Chriſtianos, nè dum Reliquias, ſed Divos ipſos coluiſſe : exprobatum quidem à Paganis Cultum Sanctorum, ſed poſt tertium Sæculum, nec antea legimus uſitatum fuiſſe apud Patres noſtros ad unius, vel plurium Martyrum Sepulcrum propriè, & ſeorſim ab aliorum Fidelium Sepulcris orare, velut aliqua major ſit hujuſmodi loci Sanctitas, & Religio : hæc enim omnia in quarto Sæculo initium cognoverunt. Ultimo inſurgit, nullum ritum condendarum ſub omni Altari Reliquiarum intra trecentos annos à Chriſto nato fuiſſe, neque Majores noſtros illis tribus Chriſtianiſsimis Sæculis geſtaſſe legimus in publicis Proceſsionibus Reliquias, vel ſolemnes Translationes feciſſe, vel ad collum appenſas in præſidium, & defenſionem habuiſſe: hæc autem omnia incæpiſſe ſub quarti Sæculi initio. Sic Calviniſta Dallæus diſcurrit, & magnum apud ſuos ſibi com-

Dallæus cap. 10. 11. 12. 13. &c.

Digitized by Google

comparavit nomen, ut nemo tantæ eruditionis, & ſcientiæ judicetur. Veruntamen nimium miſeri facti eſtis ò Calviniſtæ, ſi alios eruditos Magiſtros, & Doctores non profertis, circuitis Mare, & Aridam, ut faciatis unum Proſelitum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. Neſcio qualis eruditio appareat in homine iſto, quæ ſcientia reſplendeat, & quod rationis lumen effulgeat. Fateor Chriſtianiſsima priora tria Sæcula recenſita, at nos defeciſſe à Fide, unde probas ò Dalleæ? In publicis Proceſsionibus, inquis, non erat mos Patribus noſtris deferre Reliquias ad Divinum implorandum auxilium, in quarto Sæculo hæc actitari cœperunt. Gratias tibi ago propter erudita mendacia. Scis quare uſus non fuerit in tribus Sæculis, quia Eccleſia erat ſub Regibus perſequentibus, in quarto Sæculo facta eſt ſub Regibus obſequentibus. Quid excogitas publicas Proceſsiones, quando qublica aderat perſecutio nominis Chriſtiani? Nunquid poterant fieri ſolemnes Translationes temporibus Neronis, Aureliani, Trajani, Decii, Diocletiani? Quod fieri non potuit primis illis in Sæculis, fieri non debuit in ſubſequentibus? Vide eruditionem, & ſubtilitatem inferendi! Omnia tempus habent, & tempus belli, & tempus Pacis. Primis temporibus bellum inferebatur Chriſtum annuntiantibus, & ſequentibus: vix in ſpeluncis, & cavernis Terræ poterant inhabitare Patres noſtri: clam uni Deo Sacrificium offerebatur: neceſſaria ad ſalutem Sacramenta adminiſtrabantur: inungebantur Athletæ ad pugnam: reficiebantur Euchariſtico Cibo Fideles, nè deficerent in via: lapſis dabatur venia, at hæc omnia peregebantur ſecretò, nec à furentibus Gentilibus Templa noſtris

Digitized by Google

ſtris permittebantur, in quibus Fidei inſtituta Majores noſtri tradcrent. Inane ergo eſt argumentum ex non uſu illorum Sæculorum inferre abuſum in ſubſequentibus. Quando in Lege veteri ædificatum eſt Templum, & ritu ſolemni dedicatum, niſi cum pacem donavit Deus Salomoni ab omnibus inimi-
Reg. 3. 5. cis ſuis? Unde dixit: *Nunc non eſt Satan, nec occurſus malus, quamobrem cogito ædificare Domum nomini Dei mei*. Si quis ſapientiſsimi Salomonis opus reprehendere vellet ſic diſcurrendo. Templum non fuit conſtructum à David Rege ſanctiſſimo, à Samuel Judice rectiſsimo, à forti Sampſon, à mirabili Joſue, à religioſo Moyſe, ergo nec conſtrui debebat à Salomone: nonnè fatuus meritò cenſeretur? Et tamen proh pudor ſimiliter ratiocinatur Dallæus, & ſapiens reputatur. Sicuti itaque Salomon reprobandus non eſt, quia Templum conſecravit Altiſsimo Deo, quod recenſiti Majores noſtri non fecere ob bella ingruentia contra finitimos Populos idololatras, ita ſi in quarto Sæculo publicæ dedicationes Templorum cum Reliquiis Sanctorum, ac ſolemnes Translationes à Patribus noſtris inſtitutæ ſunt, non obiurgandi, quaſi defecerint, quia hæc omnia non peracta fuere à prioribus Patribus trium Sæculorum. Primi in bello, alteri in pace conſtituti edocuerunt nos quomodo in utroque tempore Deo ſit inſerviendum. Requievit Eccleſia ſub Principibus obſequentibus, & quod perfici non potuit ſub tirannica poteſtate, Deo miſerente abſolutum fuit ſub legitima. Lacrymantibus oculis inſpicimus Orientis faciem commutatam, & ubi Deo publicè ſacrificabatur, Dæmonibus, ac ſpurciſſimis hominibus immolatur, non tamen condemnamus reſiduum Chriſtianorum ibidem com-

commorantium, ſi ſolemnes Proceſſiones cum Reliquiis non celebrent; aut alia non perficiant juxta conſuetudinem Majorum. Alia eſt ratio Fidei, alia Diſciplinæ: Fides omninò invariabilis, una, immutabilis: Diſciplina aliquam ſubire poteſt variationem, quia temporum, locorum, perſonarum conditionem conſiderat, & ſi à Fide nos defeciſſe putat Dallæus ob nonnulla, quæ uſum obtinuerunt apud nos, & non apud primos Patres noſtros, pariter & Calviniſtas defeciſſe comprobatur, quia multa ſanctè à Patribus primis inſtituta, non negligunt tantum, ſed contemnunt, irrident, & prædicant non facienda: Viget nè ille rigor Diſciplinæ in imponendis ſalutaribus pœnitentiis apud Calviniſtas? Omnis ſatisfactio odioſa eſt illis, & tamen primi Patres noſtri plures Canones efformarunt, uti quiſque eruditus novit. Vitam communem ſervant, ut ſubmotum ſit inter illos meum, ac tuum? Et ita vixiſſe primos Chriſtianos legimus in Actibus Apoſtolorum. Defecerunt itaque una nobiſcum. Ubi eſt ergo nunc Eccleſia? Non apud nos, ut vos impiè clamatis, non apud vos, ut nos certè judicamus, en ergo Chriſtus in promiſſis mendax, qui dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem Sæculi*? Blaſphemiam, ſi horreant, deſinant cum Dallæo nobis improperare, quod in pace nobis donata per Chriſtum multa faciamus, quæ in bello Patres noſtri adimplere non potuerunt. Demum ſi, Dallæo conſentiente, in quarto Sæculo incœperunt Deo dedicari Altaria cum Reliquiis Sanctorum: publicas Translationes fieri, tunc defeciſſe Eccleſiam concludendum eſt, cum hæc omnia idololatriam ſonent apud vos, à temporibus ergo Conſtantini uſque ad prædicationem Calvinianam omnes *Matth.28.20.*

nes

nes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, & ad idololatriam prolapſi ſunt; In tam ſubita Fidei mutatione, nec unus ex tot Sanctiſſimis Patribus fuit, qui admoneret Populum ſibi commiſſum, & diceret, quod ad Idola revertiſſent? Eruditus, qui dicitur Dallæus ignorare non debuit quinam Epiſcopi componerent Nycænam Synodum primam. Multi ſapientiſſimi erant, plures, qui pro Fide Chriſti decertarunt, & vulnerum cicatrices portabant, nonnulli, qui in tertio Sæculo floruere, & optimè noverunt quænam Fides eſſet priorum Sæculorum: pejus erraſſent Patres Nycæni rurſus idololatriam foventes, quam Arius Verbum Divinum aſſerens Creaturam. Omnes Scriptores, tam Catholici, quam Ethnici nobis notum faciunt in quarto Sæculo Idola Gentium deſtructa fuiſſe, ſolus Dallæus revixiſſe affirmat, teſtes nullos profert, & ſibi Fidem adhiberi deſiderat: negantia argumenta exhibet de publicis dedicationibus Templorum, & ſolemnibus Translationibus Corporum Sanctorum Martyrum, quæ tribus Sæculis non fiebant, & concluſum eſſe poſitivè contendit contra Fidem Catholicorum. Quid diceret ſi Benedictum XIII. feliciter Regnantem inſpiceret in ætate ſenili tot ſacris laboribus ferè attritum, quotidiè Altaria ſolemni ritu cum Sanctorum Reliquiis conſecrantem, laſſos humeros ad Urnas Cinerum Sanctorum publicè deferendas ſupponentem? Exclamaret profectò hæc non fiebant in primo, ſecundo, tertio Sæculo à Benedicti Prædeceſſoribus; ſed cui datum eſt divinitus illis ſuccedere, repeteret Benedictus: quod Patres noſtri facere non potuerunt ob ſevitiem Paganorum, nunc fieri debet ob pietatem Chriſtianorum in honorem Sanctorum, qui fortes facti

facti ſunt in bello, & nobis ſanguine ſuo pacifica tempora impetrarunt ab illo, qui dedit eis victoriam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, in cujus gloriam primariò cedunt, & Conſecrationes, & ſolemnes Translationes. Sed revertamur ad alia, quæ nobis objicit Dallæus. Secretò, aſſerit, in primis Sæculis tumulata fuiſſe Corpora Sanctorum Martyrum, & omninò occultare curaſſe Fideles, nec repoſuiſſe ſub Altaribus. Romanæ Mulieres, quæ facultates ſuas erogarunt in alendis Pauperibus, humandis, condiendiſque Cadaveribus Martyrum eruditum hominem edocebunt, illorum temporum anguſtias, impedimento quidem fuiſſe, nè religioſi obſequii plura ſigna darent, dediſſe tamen etiam cum aperto diſcrimine, vel in Prædiis ſuis ſepeliendo cum notis certis, quibus ſecernerentur futuris temporibus, qui uſque ad ſanguinem reſtitiſſent, & peculiari dignos honore Athletas demonſtraſſe per diſtinctos lapides, in quibus Martyrium indicabatur per vitreas ampullas cruore tinctas Militum Chriſti, & per alia Symbola, quæ adhuc noſtris temporibus patent. A rabie furentium Gentilium abſconſa remanebant Corpora Martyrum: attamen ſic occultare quædam pietatis, & obſervantiæ ſpecies erat, & honor non parvus, dum tale exercebant officium, ut poſteris aliquid de Sanctis Martyribus remaneret, & Cineres Juſtorum, non confunderentur cum Cineribus impiorum. Quando verò Deo placuit aperire Tumulos Martyrum, & antiquorum apparuit veneratio in Martyres, & noſter Cultus Martyrum publicus factus eſt. Utinam majori circumſpectione Patres noſtri occultaſſent Corpora nonnullorum Sanctorum in Anglia, & Gallia, modo exuviæ remanerent ad noſtram

Digitized by Google

conſolationem : ſed excuſanda illorum ſimplicitas eſt. Quis unquam talem malitiam excogitaſſet in Calvinianis, ut etiam in mortuos deſevirent? Occultatio itaque, quæ à Dallæo fingitur, nè Cineres Sanctorum in honore eſſent apud primos Chriſtiani nominis Patres, potius oppoſitum demonſtrat, & ut debitæ reverentiæ ſignum eſt accipienda. Si ea primorum Sæculorum Fides fuiſſet, ut omnis Reliquiarum Cultus eſſet abdicandus, quare ſepararunt pretioſum à vili, & Corpuſcula Martyrum ſepelierunt, ut dignoſci, & diſtingui ab illis poſſent? Quare abſque confuſione recondita? Quid vitreæ ampullæ, quid lapides diſtincti cum palmis, quid ly *Pro Chriſto* indicant, niſi religioſum honorem? Poterant æquè facilius cum aliis Cadaveribus confundi, uti Julianum Apoſtatam feciſſe refertur in odium Chriſtianæ Religionis: poterant nullum ſignum apponere: omnia ſymbola auferre, quæ cum non fecerint, Divina ſtat firma Traditio, etiam in primis Sæculis, de religioſo Cultu Sanctorum Cineribus reddendo.

Latinorum vocat hanc Traditionem Dallæus, quare autem non Græcorum? Fortaſſis Græci manus Calviniſtis dederunt denegando honorem Reliquiis Sanctorum? Supra teſtimonium retulimus Jo. Chriſoſtomi, Baſilii, & aliorum. Nycæna ſecunda Synodus ferè tota ex Patribus Græcis compoſita, quid in ea ſtatutum fuerit non ignorat Dallæus. Immò cum pax reddita eſt Eccleſiæ per piiſſimum Imperatorem Conſtantinum, in Oriente publicæ Translationes apparuerunt. Narrat Ambroſius oratione de exitu è vita, & virtutibus Theodoſii, quomodo Helena Conſtantini Mater invenerit juxta pium votum Dominicam Crucem, & honoraverit: *He-*

Helena, inquit, *Magna Fœmina, quæ multò amplius invenit, quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore acciperet: Anxia Mater pro Filio, cui Regnum Orbis Romani ceſſerat, feſtinavit Hieroſolymam, & ſcrutata eſt locum Dominicæ Paſſionis. Stabulariam hanc primò fuiſſe aſſerunt, ſic cognitam Conſtantio Seniori, qui poſtea Regnum adeptus eſt. Bona ſtabularia, quæ tam diligenter Præſepe Domini requiſivit. Bona ſtabularia, quæ ſtabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit à latronibus vulnerati. Bona ſtabularia, quæ maluit æſtimari ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Ideò illam Chriſtus de ſtercore levavit ad Regnum, ſecundum quod ſcriptum eſt Pſalm.* 112. 7. *Quia ſuſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperem. Venit ergo Helena, cœpit reviſere Loca Sancta, infudit ei ſpiritus, ut lignum Crucis requireret, acceſſit Golgotham, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi eſt victoria? Quæro Vexillum ſalutis, & non invenio: Ego, inquit, in Regnis, & Crux Domini in pulvere? Ego in aureis, & in ruinis Chriſti Triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitror, ſi redemptio ipſa non cernitur?*

Eo igitur tempore, quo Chriſtianæ Militiæ adſcribi Imperatores cœperunt, honeſtiori loco, & Sanctorum Reliquiæ repoſitæ fuere, & ſolemniter transferri, excogitatum fuit etiam apud Græcos. Conſtantinum Imperatorem Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei Conſtantinopolim tranſtuliſſe teſtis eſt Hieronymus: idem refert eo tempore factam fuiſſe juſſu Auguſti Arcadii celeberrimam Translationem Offium Beati Samuelis de Judæa in Traciam, & tanta lætitia, ut de Palæſtina uſque Chalcedonem jungerentur Populum examina, & in Chri-

Epiſt. ad Riparium.

Chriſti laudem una voce reſonarent. Sed nè exurgere contra nos poſſint moderni Dallæiſtæ, ſive Calviniſtæ dicentes teſtimonia Ambroſii, & Hieronymi Latinorum eſſe, non Græcorum, conſulamus Græcos Hiſtoricos præter datos in prima parte, an fuerit ſolummos Latinorum, ſeù Græcorum ſimul transferre ſolemniter Sanctorum Reliquias ad venerationem. Non repeto teſtimonium Dorothæi Tirii in Synopſi: non enim me latet cenſura doctiſſimi Cardinalis Bellarmini, quem ut Magiſtrum proſequor, aliiſque proponere condelector: fateor me in Controverſiis Fidei contra modernos Hæreticos nunquam recedere à ſententia Venerabilis Viri: tam acutè Adverſariorum objectis reſpondet, tam ſolidè noſtra tuetur, ut qui erudiri deſiderat contra vigentes hæreſes adeat Robertum Bellarminum: hic enim de Scriptoribus Eccleſiaſticis Synopſim Dorothæi plenam fabulis deſcribit, quod ſi nos ſupra retulimus teſtimonium prædicti Authoris, cum eodem Bellarmino reponimus: *Non meminiſſem libri tam fabuloſi, niſi vidiſſem à multis citari, & non minimi fieri*. Hoc ergo Authore Synopſis omiſſo, Nazianzenum Gregorium proferamus de inventione Corporis S. Cypriani ſic loquentem:

Gregor. Naz. orat. 18. in S. Cyprian.

Quamquam Cypriani nomen apud omnes, non modo Chriſtianos, verum etiam eos, qui adverſæ Claſſis erant (virtus enim omnibus ſimiliter venerationi eſt) clariſſimum, & celeberrimum eſſet, Corpus tamen obſcurum erat, atque hic Theſaurus apud Mulierem quamdam pietate fervidam occultabatur: idque diuturno tempore, ſivè quod Deus hac oratione piam Matronam honore affici vellet, ac propterea illa Martyrem amplexu ſuo teneret, ſive etiam, ut deſiderium noſtrum exerceret, num ſcilicet hoc damno an-

Digitized by Google

engeremur, acerbeque ferremus nos Sanctis Reliquiis privari. At verò poſtquam ille Martyrum Deus commune omnium bonum alicui privatim concedere, & ſingulari erga illam gratia, publicis commodis detrimentum adferre minimè ſuſtinuit, per revelationem in apertum Corpus profert. Subindè recenſet eloquentiſſimus Doctor Miracula: Dæmonum nimirum oppreſſionem, morborum depulſionem, futurorum prænotionem: *Quæ omnia*, inquit, *vel Cineres ipſi Cypriani, modo Fides adſit, efficiunt*. In longum abirem, ſi omnes Translationes in Græcia factas hic referre vellem. Sozomenus refert Pulcheriam Imperatricem inventis Sacris Quadraginta Martyrum Reliquiis, Deo gratulatorias preces fudiſſe, quod Sacram Reliquiarum inventionem fuiſſet aſſecuta, & poſt hæc pretioſiſſima Thæca Martyres honoratos, juxta venerabilem Thyrſum compoſuit, publica Feſtivitas cum debito honore, ac pompa, ac pſalmodiis celebrata, cui interfuiſſe, & ipſe Sozomenus teſtatur, concludens: *Hoc Imperio Deus multorum Sanctorum Corpora manifeſtavit: cujuſmodi illud eſt, quod accidit in Zaccaria vetuſto Propheta*. Theodoretus narrat, Apollinem Daphnæum impio Juliano reſponſa non dediſſe ob inviciſſimi Martyris Babilæ Reliquias, quæ non longè repoſitæ fuerant, quod ægrè ferens Apoſtata Imperator, juſſit ex eo loco transferri, & profecti Chriſtiani ad lucum lubentibus animis loculum in bigis collocant, omneſque ad unum accedentes, ſaltare, Pſalmoſque Davidicos cantare cœperunt, & inter ſingula verſuum membra interponere: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia*. Theodorus Lector lib. 2. quatuor enumerat ſub Conſtantino Magno, Theodoſio, Arcadio, & juniori Theodoſio,

Sozomen. lib. 4. cap. 2.

Idem cap.16.

Theodoret. Eccl. Hiſt. lib.3.cap.9.

Pſalm. 95. 7.

Evagr. lib. 1. cap. 13. 16. lib. 2. cap. 3. lib. 4. cap. 29. 34.

doſio. Evagrius ad longum deſcribit Translationem Sanctiſſimi Corporis Simeonis, Leone Auguſto Imperium gerente, & Martyrio Antiochiæ Epiſcopatum adminiſtrante. Antiochiam deportatum, à Militibus fuit cuſtoditum, nè vicinæ Urbes illud ſurriperent, & cum Sacrum Pignus ab Antiochenis poſtulaſſet Imperator, dixerunt Cives: quoniam Civitas mœnibus caret Sanctiſſimum Simeonis Corpus huc apportavimus, ut nobis muri, & munimenti loco ſit, quibus verbis perſuaſus Imperator venerandum Corpus illis conceſſit. Martyris Euphemiæ inde recenſet, Levitæ Ignatii, Sergii Martyris, Thomæ Monachi feſtivas Translationes. Perlegat Dallæus Georgium Alexandrinum, & quid Theodoſius junior fecerit erga Corpus Sancti Doctoris Joannis Chryſoſtomi de humilibus litteris conſcriptis, quali honore receptum Sacrum Cadaver, quomodo repoſitum in propria Sede, ac ſi vivens foret Populo benedixerit, claudum ſanaverit. Oblatret Dallæus fabulis hæc ſimilia eſſe; Modo contentio non eſt, an vera ſint Miracula, quæ à Græcis referuntur operata per Sanctorum Reliquias. De veritate horum Miraculorum ſatis me dixiſſe puto priori Parte Capite III. Nunc juvat reponere cum Jeremia Conſtantinopolitano, Schiſmatico quidem homine, & nobis adverſo, qui non potuit tamen adduci, ut Calvinianis erroribus ſubſcriberet: *Si è præduro ſaxo aqua in ſolitudine effluxit: ſi ex Aſini mandibula Sampſon ſitienti aqua erupit, cur Martyrum Reliquiis idem fieri incredibile ſit?* Teſtimonium hoc, quod ab inimica voce profertur, libentius audiri judico ab hæreticis. Revertantur ergo prævaricatores ad cor, & cognoſcant quod duriſſimo ſaxo concedunt, quod Aſini

Apud Coccin tit. de Sanct.

man-

Digitized by Google

mandibulæ, perperam negari Dominicæ Cruci, Veſtibus Deiparæ, Oſſibus Pauli. Sed, ut dixi, contentionis caput illud eſt, an Cultus Sanctarum Reliquiarum ſit dumtaxat Traditio Latinorum, ut Dallæus vult, & cum omnes Græci Hiſtorici meminerint recenſiti Cultus, nec ullum diſſidium inter Latinos, Græcoſque fuiſſe, ſed omnes unanimi conſenſu dignos honore Sacras Reliquias reputaſſe, mendax de more Dallæus, homo neuter demonſtratur. Non enim ſolùm relati Hiſtorici mentionem faciunt de Sacris Translationibus, ſed & alii idem tradere compertum eſt legentibus. Cedrenus ſiquidem in Conſtantino Copronymo, ex quo deſcendunt quos patimur Adverſarii, ſcelus ſordidi Imperatoris deteſtatur, qui Reliquias Sanctæ Euphemiæ cum ciſta in mare abjecit, quæ Dei gratia incolumis demum appulit, ac deinde Conſtantino, & Iræne imperantibus, digna veneratione ſuum eſt reducta Templum. Refert Joannes Zonaras in Leone Magno Imperatore, pretioſam Sanctiſſimæ Deiparæ Veſtem è Palæſtina Romam novam fuiſſe translatam, & à Leone in argenteo loculo in Æde, quam ipſe in Blanchermis ſtruxerat, repoſitam, quæ Ædes ex eo ſacer loculus appellatur, & ſub Imperio Conſtantini Leonis filii venerandam Præcurſoris Joannis manum Antiochia Bixantium deportatam fuiſſe à quodam Jobo Diacono, ac demum Imperio Romani Pueri Nicephorum Phocam ab Imperatrice evocatum, ſecum partem Veſtis, ac Capillorum Sanguine concretam ejuſdem Sancti Præcurſoris Conſtantinopolim tranſtuliſſe. Omitto Suidam in Copronymo, Nicetam Choniatem in Andronico Comneno, Michaelem Clycam parte quarta Annalium, Nicephorum Calliſtum lib. 2. cap. 41., Joannem

nem Cantacuzenum Apologia tertia, alios Græcos Scriptores, qui omnes uno ore teſtantur de ſolemnibus, ac feſtivis Translationibus, deque honore Sanctorum Reliquiis reddito in Imperio Græcorum. Qua fronte dicat ergo Dallæus Traditionem eſſe Latinorum, fateor me ignorare, cum Græcorum, Latinorumque mens apertiſſima videatur. Repetit tamen, altiſſimum ſilentium fuiſſe in Authoribus trium ſæculorum; ex ſilentio inferre ruinam putat cauſæ noſtræ: ſed ſi Patres ſiluerunt, bellum non indixerunt Sanctis noſtris, quomodo ergo probat reſpuiſſe, & damnaſſe honorem, quem Sanctis reddimus; ſi Dallæo teſte nihil dixerunt? Dixiſſent inquit, ſi eſſet licitus: dixiſſent repeto ſi eſſet illicitus; Proferat primos Patres, qui reprobent ut illicitam Sacrarum Reliquiarum venerationem, quod cum facere nequeat, ex ſilentio Patrum inferat, nec pro Cultu, nec contra aliquid probari poſſe, quamvis rectius dici debeat, quod adhuc non clamantibus hæreticis Patres tacuerunt: quare Patres in quarto Sæculo tanta ſcripſerunt? Quia Progenitores veſtri Eunomius, Vigilantius, Julianus Apoſtata, Conſtantinus Copronymus multa blaſphemantes dixerunt, vobis tacentibus, aut ſecurius loquebantur, aut utilius tacebant. Sed rem altius perſcrutemur, & Dallæum ex Dallæo, & Calviniſtas cum Calviniſtis impugnemus. Ab illis ſcire cupimus quos Scriptores admittant præter Canonicos in primo Sæculo? Qui circumferuntur ſunt Author libri Paſtorum, Sanctus Linus Papa, S. Clemens, Procorus unus ex ſeptem Diaconibus, Sanctus Dionyſius Areopagita, Sanctus Ignatius Martyr, Abdias Babilonicus, Sanctus Polycarpus Martyr, Sanctus Martialis Lemovicenſis Antiſtes;

nunc

nunc veſtrum proferte judicium: aut ſcripta horum Patrum legitima ſunt, aut pſeudicraſa, ſi primum aſſeritis, en teſtimonium Clementis: *Eorum, qui apud Deum vivunt, nec Reliquiæ quidem Corporum ſunt inhonoratæ: ſiquidem Eliſeus Propheta poſtquam defunctus, mortuum ſuſcitavit à pyratis Syriæ occiſum: attigit enim Corpus Eliſei, & excitatus revixit: quod quidem nunquam accidiſſet, niſi Corpus Eliſei Sanctum eſſet: & caſtus Joſeph Jacob Patrem jam defunctum in lecto jacentem amplexatus eſt: item Moyſes, & Jeſus filius Nave Reliquias Corporis Joſeph ferebant, neque ſe tamen Cadavere contaminari putaverunt. Quocirca, & vos Epiſcopi, ac reliqui, non exiſtimate pollui, ſi mortuos contingere, & tractare non caveatis, neque eorum Reliquias accerſemini, ejectis hujuſmodi obſervationibus ſtultis.* Quid clarius dici poterat? En ſilentium ſubmotum in primo Sæculo; nonnè Dionyſius Areopagita lib. de Divinis Nominibus cap. 3. ſcribit conveniſſe Apoſtolos ad contuendum Corpus illud, quod Authorem vitæ, Deumque receperat? Primos Authores ſugillant Calviniſtæ cum ſuo Dallæo, & ſub venerandis nominibus ſuppoſita eſſe Opera, quæ referuntur: hinc ſeptem Ignatianas, quas recenſet Hieronymus Epiſtolas rejiciunt. Dionyſium Authorem ſexti Sæculi prædicant, Abdiæ Babylonici, Lini, Clementis Opuſcula, Decreto Gelaſiano ut apocrifa inuri. Non meum eſt in præſenti loco vindicare Epiſtolas Sancti Martyris Ignatii, Areopagitæ Opera, quod noſtri eruditiſſimi præſtarunt: interim ſi ſanum proferre quis cupit de his Operibus judicium, Venerabilem conſulat Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis: ego verò alteram argumenti partem reaſſumam contra Dallæum,

Conſtitut. Apoſtol. lib. 6. cap. 29.

Digitized by Google

& Dallæum à Dallæo convictum clamabo.

Nihil ſcripſerunt Patres primi Sæculi, aut ſi ſcripſerunt nuda nomina ad nos pervenerunt, ut aſſeris, & ea quæ lectitantur ſuppoſititia eſſe, non genuina illorum Patrum Opera. Unde ergo reprehendis noſtrum Cultum, quaſi contrarium primis Patribus, ſi de ipſis nihil omninò ſcitur? Unde noviſtis Calviniani Sanctorum Reliquiis non fuiſſe adhibitum in primis Sæculis religioſum Cultum, ſi nulla extant Scripta Patrum? Revoca nos Dallæe ad Fidem, & diſciplinam Patrum Chriſtianiſſimi Sæculi, & ignotam Fidem, & diſciplinam illorum profiteris; initium, dicis, ſumpſiſſe obſequium, quod reddimus Sanctis noſtris in quarto Sæculo, in quo, & publicæ Translationes inſtitutæ, Proceſſiones indictæ, & repetis ſimul nihil ſcripſiſſe Patres. Qui aſſerit rem aliquam hoc tempore incœpiſſe, novit in priori tempore non fuiſſe. Qui ergo das ignotum eſſe quid ageretur primis temporibus, ne accuſes tanquam novum, quod in ſubſequentibus peragi intellexiſti, alias te ſcientiam, & ignorantiam componere judicaberis; novum, & inauditum monſtrum in primis, mediis, & futuris Sæculis. Placet referre, quæ dixit in duobus libris de uſu Patrum. In primo libro per undecim Capita totus eſt, ut ſuadeat egrè poſſe conſtare, quid circa noſtras de Religione Controverſias ſenſerint Patres, cum pauca extent ab iis ſcripta tribus præſertim antiquiſſimis Sæculis, quorum potiſſima ratio eſſe debeat. Porrò primis tribus Sæculis pauci Doctores libris conſcribendis operam dederunt, ſed neque ea ipſa, quæ tum ediderunt Chriſtiani, tamen & ſi pauca, ad nos omnia pervenere. Pars major intercidit, vel temporis injuria, vel hominum in

Apud Natalem ab Alexan. Sæcul. 5. Diſſert. 25.

abo-

abolendis, quæ ad palatum non ſapiebant, audacium fraude, ut Papiæ quinque libri, Quadrati Athenienſis, & Ariſtidis Apologiæ, Libri Egeſippi, Melitonis, Dionyſii Corinthii, Apollinaris, Philippi, Modeſti, Hippolyti, Julii Africani, Dionyſii Alexandrini, & aliorum monumenta, quorum nobis nuda nomina, & tituli apud Euſebium, & Hieronymum ſuperſunt. Capite ſecundo ſubdit: Difficile eſſe certò ſcire, quæ fuerit veterum Patrum hodiernis de Controverſiis Fides, quia quæ ſuperſunt è tribus prioribus Sæculis ſcripta, maximam partem agunt de rebus alieniſſimis ab iis, quæ hodie circa Religionem in controverſiam vocantur: hi enim pro ſuorum temporum ratione, vel Chriſtianiſmum criminationibus, quibus per calumniam gravabatur, purgant, vel inſulſa, & impia Ethnicorum Sacra exagitant, vel obduratam Judæorum pervicaciam coarguunt, vel portentoſa hæreticorum ſui temporis deliria confutant, vel Fideles ad patientiam, & Fidem Chriſti fortiter profitendam hortantur, vel quoſquam denique Scripturæ textus interpretantur: quæ omnia perperam ad Controverſias noſtras faciunt. Hæc Dallæus de recto uſu Patrum; omitto plura, quæ in ſequentibus Capitibus narrat parum devotus in Patres, quos omnes demum dat erraſſe, & ſi eorum ſcripta remaneant nihil ex illis evinci poſſe, quia homines fuerunt, & Fidem humanam ſolum præſtant, quæ fallibilitati obnoxia eſt.

Veritas una eſt mi Dallæe, nec contraria patitur: aut verum eſt, quod in volumine de vero uſu Patrum conſcripſiſti, & non provocare debueras nos ad Patres primorum Sæculorum, cum nihil de hac Controverſia fuerint loquuti. Verſipellis

Digitized by Google

homo, cum ſe viderit agitatum in ſuis erroribus à ſententiis Patrum, totus eſt, ut nævos confingat in Patribus, ſubjectos erroribus clamitat, eorum Scripta injuria temporum periiſſe, hominum fraude ad nos vitiata perveniſſe, aut demum de noſtris Controverſiis nihil egiſſe. Cum verò in alio volumine Sanctorum Cultum ſuſcipit impugnandum, immemor ſui, totum ſe convertit ad Patres trium Sæculorum, & quod firmat in uno, deſtruit in altero, in utroque falſus: ſi nihil dixerint, pro ſe dixiſſe contendit, ſi dixerint, flocci faciendum, quod dixerint. Ad infirmanda ergo ea, quæ de religioſi Cultus objecto conſcripſit, ipſe Dallæus ſufficeret in volumine de vero Patrum uſu, quos rejicit nunc Judices Controverſiarum, & modo ſtatuit, varius, anceps, non ſibi conſtans, vult ſcripſiſſe, & non ſcripſiſſe, fortes in Fide, lapſos in eadem, ſequendos, & perſequendos. Sed diverſum cum ſit mendacium deſtruere, & veritatem firmare, multa ſcripta Patrum periiſſe fatemur, & hæreticorum pruriginem vitiandi, quæ bona ſunt, ſenſiſſe: attamen quæ ſuperfuerunt fragmenta trium Sæculorum ſatis demonſtrant, quæ fuerit Religio Patrum. Celebre teſtimonium Smyrnenſis Eccleſiæ in Epiſtola Encyclica ſuperius dedimus, & iterum reproducimus: *Nos Divi Polycarpi oſſa potiora lapillis pretioſis, auroque puriora ex cineribus ſublata, eo loco repoſuimus, qui illi erat decorus, conſentaneuſque, quo etiam in loco, nobis, ſi fieri poterit, convenientibus, concedat Deus natalem ejus Martyris diem cum hilaritate, & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, tum ad poſteros ejuſmodi exemplo erudiendos, & confirmandos.* Singula penſentur verba, ut appareat quam

Apud. Euſeb. lib 4. Hiſtor. Eccl. cap. 15.

quam falsè proceſſerit Dallæus. Monumentum hoc eſt ex priſcis Sæculis Chriſtianiſſimis, & Fideles illi fuere Charitate ferventiſſimi, & Fide puriſſimi etiam concedente Dallæo, & tamen Oſſa Polycarpi digna veneratione judicarunt: ſolemnem memoriam quotannis celebrare promittunt, ſi fieri poterit, quo oſtendatur, ſi Solemnitates, Translationes, Proceſſiones, & ſi quæ hujuſmodi fuerint omiſſa, ex ſupervenienti impedimento, quod deſiderabant non implevere: demum natalem Martyris diem recolere ſe velle affirmant, & in memoriam eorum, qui glorioſo certamine perfuncti ſunt, & ad poſteros erudiendos, & confirmandos. Qui dicitur eruditus Dallæus perdiſcat quid ſit faciendum, quid docuerint, & quare honoraverint Corpora Sanctorum Patres noſtri, ut poſteri imitarentur. Qui ex illis deſcendunt, imitari non detrectant. Videant modo originem ſuam heterodoxi, noſtra qualis ſit ex trium Sæculorum teſtimonio, ad quod nos deduxit Calvinianæ ſectæ Magiſtellus comprobatur. Martyrem Juſtinum Apologia 2. non refero, nec Cyprianum Ep. 37. qui adnotari diem paſſionis Martyrum præcepit: *Denique & dies eorum*, inquit, *quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Arbitror enim ex hucuſque dictis manifeſtam fieri veritatem ſincero corde inquirentibus, & diligentibus adeſſe teſtimonium Fidei noſtræ in primis Chriſtiani nominis Sæculis, quod etſi pauca ſcripſerint circa Cultum Sanctarum Reliquiarum Majores noſtri, ea temporum conditio erat, ut nonnulla, Ethnicis inſultantibus, occultarentur, nè occaſionem inde ſumerent Chriſtianam Religionem calumniandi. Compoſuiſſe Apologeticos

Digitized by Google

ticos libros pro defenſione Fidei oblatos Imperatoribus ſcimus, ut objecta crimina diluerent, puritatem noſtrorum Sacrificiorum aperuerunt, nè ſpurcitias Gnoſticorum Legem crederent Chriſtianorum: ſubticuerunt tantillum honores, quos ritè deferimus Sanctis noſtris, quia cum cæca Gentilitas neſciens diſtinguere inter dexteram, & ſiniſtram, reprehenſa quod Numina, quæ colebat, non eſſent niſi homines, aut opera manum hominum, idem ex ignorantia aſſereret de noſtra Religione, at cum Fideles aperirent ſenſum ſuum aliis Fidelibus, ſeu Credentibus, uti Eccleſia Smyrnenſis Ponti Eccleſiæ,apertè Cineres Martyrum colendos eſſe judicavit, feſtos dies inſtituendos, & in obſequium Sanctorum, & ad exemplum poſterorum, nè erubeſcerent eorum veſtigia ſequi honorando Deum in Sanctis. En quomodo ex paucis, quæ ſcripſerunt habeamus nos non receſſiſſe à ſemita Majorum, qui tribus primis Sæculis floruerunt, ac multum aberraſſe à veritatis ſcopo Dallæum, dum auſus eſt proferre Cultum Sanctorum incœpiſſe in quarto Sæculo. Cœtera, quæ ſcripſit Patribus noſtris injurioſa, ſi vita comes fuerit, ſuo loco confutabo; interim, ſi quid ab uno, vel altero ex Patribus minus aptè dictum, debiti officii erat, vel ad ſanum ſenſum trahere, vel reverenter occultare, aut quod Filiorum eſt modeſtè excuſare, nec præſumere ſe doctiorem, aut ſanctiorem, ut ſolus Dallæus fuerit veritatem aſſecutus: & quot quot Patres, quos Eccleſiæ à quarto Sæculo uſque modo donaverit Deus, ſpiritu vertiginis obreptos circa religioſi Cultus objectum. Comparare ſe uni, vel alteri ſumma audacia eſt, omnibus ſe majorem oſtendere extrema ſtultitia eſt, quæ in ſolo Dallæo reperitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Quinam Adoratores Sepulcrorum ſint, & rejiciantur ab Auguſtino, & an Reliquias Martyrum venerantes tanti Doctoris cenſura inurantur?

FUlgentiſſimum Eccleſiæ lumen Auguſtinus Manichæorum hæreſi ejurata, & ad meliora converſus per Sanctum Ambroſium, poſtquam per lavacrum regenerationis Chriſtianæ Militiæ Mediolani adſcriptus fuit, Romam rediit, indixitque bellum Manichæis: *Jam baptizatus*, inquit, *cum Romæ eſſem, nec ferre tacitus poſſem Manichæorum jactantiam de falſa, & fallaci continentia, vel abſtinentia, qua ſe ad imperitos decipiendos, veris Chriſtianis, quibus comparandi non ſunt, inſuper præferunt, ſcripſi duos libros, unum de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, alterum de Moribus Manichæorum.* *S. Auguſtin. 1. Retract. 7.* In primo itaque libro mores Monachorum, ac Fœminarum Deo in Clauſtris ſolicitè, caſtèque viventium cum laude recenſet, & commemorat ſe cognoviſſe multos Epiſcopos optimos, viros ſanctiſſimos, plures Presbyteros, Diaconos, & Miniſtros Divinorum Sacramentorum, quorum virtus, eo illi mirabilior, & majori Prædicatione dignior videbatur, quo difficilius eſt eam in tam multiplici hominum genere, & in iſta vita turbulentiore ſervare. *Cap. 31. 32. 33. 34.* Deindè aliud vitæ genus, quod Mediolani, & Romæ vidit, deſcribit, eorum ſcilicet, qui in Civitatibus degunt à vulgari vita remotiſſimi. Demum cap. 34. Manichæos objurgans loquitur: *Iſtis Manichæi, ſi poteſtis obſiſtite, iſtos intuemini, iſtos ſine men-*

mendacio, ſi audetis, & cum contumelia nominate: Iſtorum jejuniis veſtra jejunia, caſtitati caſtitatem, veſtimentum veſtitui, epulis epulas, modeſtiam modeſtiæ, charitatem charitati, & quod res maximè poſtulat, præceptis præcepta conferte. Nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim, aut ſcientes, aut exhibentes, nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa Religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint quid quid promiſerint Deo: Novi multos eſſe Sepulcrorum, & Picturarum adoratores. His poſtremis verbis putant heterodoxi Auguſtinum favere illis, ac nos impugnare, qui in Cultu Sanctarum Reliquiarum facti ſimus adoratores Sepulcrorum; Auguſtini ergo mens indaganda, & quos reprehenderit exponendum.

Bellarminus lib. 2. de Reliquiis Sanctor. cap. 4.

Doctiſſimus Bellarminus videns, quod paulò poſt ſuſceptum Baptiſmum hos libros ediderit Auguſtinus, putat temperaſſe ſententiam in aliis libris: *Sed hæc*, inquit, *ſcripſit Auguſtinus initio Converſionis ſuæ. Poſtmodum autem reprehendit quidem illam conſuetudinem, ſed non tanquam idololatriam.* Pace tamen tanti Magiſtri dixerim, non aliquid eſt in Auguſtini ſententia, quod moderari debeat, & ſi quid fuiſſet, cum libro Retractationum cap. 7., quæ emendanda ſibi videbantur, in libro de Moribus Eccleſiæ propoſuerit, indicaſſet: & quamvis negativum argumentum infirmum ſit, attamen conſideratione dignum apparet Auguſtinum omnibus notum feciſſe, quæ voluit correcta in libro de Moribus Eccleſiæ. Junior quidem ſcripſit laudatum librum, at non primus illius perſpicaciſſimi ingenii extitit fœtus cum cap. 1. dicat: *In aliis libris ſatis opinor egiſſe nos, quemadmodum Manichæorum invectio-*

vexationibus, quibus in legem, quod vetus Teſtamentum vocatur, imperitè, ac impiè feruntur. Alia itaque præceſſerant contra Manichæorum impietatem antequam Sanctus Doctor de Moribus Catholicæ Eccleſiæ opus conſcriberet, & ſe jam obſervaſſe teſtatur in quolibet ordine, ſeu vivendi modo, quæ laudem promerentur, quæ vituperari deberent. Junior conſcripſit, ſed ſenior factus revocavit ad trutinam opus, multa corrigendo, multa explicando, multa retractando, nullum verbulum reperies, quo explicet, retractet, corrigat id quod ſemel dixit: *Novi Sepulcrorum adoratores*. Quæ ergo aſſeruit de Sepulcrorum adoratoribus junior, ſenior retinuit: quare ut innoteſcat Auguſtini mens, mores Fidelium Eccleſiæ, & in primis, & ſubſequentibus ſæculis ſub brevitate ſunt referendi. In Eccleſiæ naſcentis exordio, qui convenerant Fideles ad Sacroſanctum Euchariſticum Cibum ſuſcipiendum, alio deinde cibo corporali reficiebantur per Cœnam, quæ dicebatur Charitatis, hæc impenſis divitum fiebat, & ſimul in unum pauperes, & divites, quaſi Fratres veſcebantur. Deſcribit hanc Cœnam Tertullianus inquiens: *Cæna noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim* ἀγάπη *id quod eſt pænes Græcos dilectio . . . . Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit, non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum eſurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile, ita ſaturantur, ut qui meminerint, etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; Ita fabulantur, ut qui ſciunt Dominum audire, oratio convivium dirimit*. Hæc Cœna, ſive Agapæ in ſubſequentibus ſæculis, etiam cum adeſſent Fideles in Templis ad memorias Martyrum celebrandas, inſtituebantur: *Tertullian. Apologet. cap. 39.*

Prima ad Corinthios 11.

Loco citato.

nonnulli tamen irrepſerunt abuſus in primo Sæculo, quos reprehendit Paulus, ut qui ſumptus præbebant divites, pauperes non expectarent, temperantiæ etiam legibus non cuſtoditis, unde juſſit cum convenirent ad manducandum invicem expectarent, & non confundere eos qui non habent. Apoſtolica admonitio ſervata eſt uſque ad Tertulliani tempora, ut ipſe fatetur: *Quantiscumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt Pietatis nomine facere ſumptum, ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus*. Verum iterum graviores apparuerunt abuſus, ut inebriarentur aliqui ad Sepulcra Martyrum, & aliter exaudiri poſſe non crederent, ut docet Ambroſius de Elia, & Jejunio cap. 17. *Quid autem*, inquit, *obteſtationes potantium loquar? quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit ſit reus indevotionis: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute Exercituum, pro Comitum virtute, pro Filiorum ſanitate, & hęc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi, qui Calices ad Sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri poſſe non credunt. O ſtultitiam hominum, qui ebrietatem Sacrificium putant: qui æſtimant illos ebrietate placare, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt.* Cœna itaque dilectionis, & in ſubſidium Pauperum inſtituta paulatim in Convivium potantium, & ſeſe inebriantium tranſivit, quare Laodicena Synodus Canone 28. edixit: *non oportet in Dominicis locis, ſeu Eccleſiis Agapen facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere*; hoc idem Mediolani fieri vetuerat Ambroſius, ut teſtatur Auguſtinus libro ſexto Confeſſionum

ſionum cap. 2. In Africa tamen tempore ejuſdem Sancti Doctoris non erat ſublatus mos deferendi cibos ad Martyrum memorias. Deſcribens enim de Civitate Dei modum honoris, qui Sanctis Martyribus reddebatur, adhuc vigentem apud plures conſuetudinem commemorat: *Quicunque*, ait, *epulas ſuas eo deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in plerijſque terrarum nulla talis eſt conſuetudo: tamen quicunque id faciunt, quas cum appoſuerint, orant, & auferunt, ut veſcantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, ſanctificari ibi eas volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum. Non autem iſta eſſe ſacrificia Martyrum novit, qui novit unum quod Deo illic offertur Sacrificium Chriſtianorum.* Præter hanc Cœnam Charitatis, quæ in ſe commendabilis eſſet, ſi in ſua ſimplicitate perſtitiſſet, quam Paulus indicavit, & Tertullianus dixit ſuo tempore cuſtodiri, à qua recedens, meritò fuit à ſupervenientibus Patribus interdicta: alius apud nonnullos irrepſerat error ex Ethnica ſuperſtitione deſcendens, ut ad Sepulcra Parentum, & aliorum deferrent cibos, & vina, putantes Animas aliquod ſolamen ex his accipere; quamvis eis ſeſe ingurgitarent offerentes, omnis temperantiæ, & ſobrietatis modo poſthabito. Mentionem habet aſſerti erroris Auguſtinus: *Cum ſolemnitatem hanc Eccleſiis, meritò Religioſa obſervantia, introduxerit, miror cur apud quoſdam Infideles hodie tam pernicioſus error increverit, ut ſuper Tumulos defunctorum cibos, & vina conferant, quaſi egreſſæ de Corporibus Animæ carnales cibos requirant. Epulas enim, & refectiones caro tantum requirit, ſpiritus autem, & anima his non indigent: Parare aliquis ſuis caris dicit, quod ipſe devorat, quod præſtat ventri imputat* pie-

Lib. 8. cap. 27.

Inter Opera Auguſt. ſerm. 15. de Sanctis.

pietati. Ceſſate ergo Fratres ab hoc Gentili infidelitatis errore. Uſibus, abuſibus, atque erroribus, qui apud nonnullos vigebant, breviter recenſitis, Auguſtini mens aperitur abſque ulla contrarietate tanto Doctore indigna, abſque ulla retractatione ab humili Sancto non indicata. Quando ergo reprehendit adoratores Sepulcrorum, non loquitur de illis, qui ad memorias Martyrum cibos deferebant, & vina, ut per Martyrum merita quandam ſanctificationem, vel benedictionem perciperent, vel in honorem Martyrum inopia pauperum ſolamen ſentiret, cum in relato capite de Civitate Dei dicat nullam adeſſe culpam in tali conſuetudine, licet non ubique eſſet: & libro ſexto Confeſſionum cap. 2. laudat Monicam piiſſimam Matrem, quæ Mediolani acceſſit ad memorias Martyrum cum caniſtro cibis repleto juxta morem Africæ, & retulerit uti hoc Epiſcopum vetuiſſe cognovit: *Pietatem ibi*, inquit Sanctus Doctor, *quærebat non voluptatem . . . . . . abſtinuit ſe libentiſſimè, ac pro caniſtro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus, ad memorias Martyrum afferre didicerat*. Nec item redarguit eos, qui ad Templa accedebant in Solemnitatibus Sanctorum, oblatiſque cibis veſcebantur, & bibebant cum hilaritate vinum uſque ad ebrietatem, quamvis enim reprehenſione digni eſſent, & alibi fecerit, tamen iſti, adoratores Sepulcrorum dici non poterant, cum ſolum rei dicerentur ob temperantiæ limites non ſervatos. Iſti itaque adoratores Sepulcrorum, non ad Martyrum memorias properabant, ſed ad Sepulcra Parentum, & Carorum, qui luxorioſiſſimè ſuper mortuos bibebant, epulas cadaveribus exhibentes, putantes Animas his cibis oblectari, & illis
ali-

aliquod ſolatium adferre. Iſta perpetrantes poterant, & debebant notari, ut adoratores Sepulcrorum. Error enim erat à malitia non denudabilis admixtus cum ſuperſtitione, & à Gentili Populo deſumptus: quare ſicuti Sermone 15. de Sanctis, vocavit Infideles, qui ſuper Tumulos defunctorum cibos, & vina conferebant, ita in libro de Moribus Eccleſiæ, ut adoratores Sepulcrorum renuntiavit. Tantum abeſt, ut cenſuram cohibuerit Auguſtinus, ut acrius reprehenderit in Sermone citato, quem poſt librum de Moribus Eccleſiæ conſcripſit. Nec mirum eſt, ſi Sanctus Doctor contra hos homines inſurrexerit, & tanquam idololatras proſcripſerit, illa enim omnia, quæ ibi peragebantur, Gentilium Cultum redolebant. Qui novit funebres ludos adhibitos ab Ethnicis erga Sepulcra Parentum, illicò intelliget, quare Auguſtinus objurgaverit ſe ſe ingurgitantes ſupra Sepulcra Parentum, & inter Ethnicæ ſuperſtitionis profeſſores adſcripſerit. Tertullianus in libro de Spectaculis Gentium, ludos dividit in ſacros, & funebres, utroſque vocat idololatricos: *Una, inquit, conditio partis utriuſque eſt, una Idololatria, una renunciatio noſtra adverſus Idololatriam*. Qui ergo luxorioſiſſimè ſuper mortuos bibebant epulas illis offerentes, vetitos in Chriſtiana Religione funebres ludos revocabant, quibus mortui, ut dicit Varro apud Auguſtinum, Dii exiſtimabantur, quod non ſoleant ludi, niſi Numinibus celebrari. Qui plura voluerit de ludis funebribus, Livium perlegat lib.41., Alexandrum ab Alexandro lib. 3. cap. 7., & addiſcet quos carpit Auguſtinus, & de Moribus Eccleſiæ, & Sermone 15. de Sanctis nihil omninò diſtare in facto ab Ethnicis ſuperſtitioſis.

Cap. 6.

Hæc

Digitized by Google

Hæc dixerim, non ut judicium contemnam Bellarmini, ſed ut manifeſtem quid mihi probabilius apparuit circa mentem Auguſtini. Nunc iterum Heterodoxos perſtringamus; Fortaſſis Auguſtinus, nè eſſemus adoratores Sepulcrorum, juſſit, nè ullus redderetur honor Sacris Cineribus Martyrum? Quos dicitis reprehendiſſe Auguſtinum in citato capite de Moribus Eccleſiæ? At çertè non corrigit eos, qui accedentes devotè ad Martyrum Sepulcra, ibi Deum adorabant, Sanctos honorabant, cum doceat modum adorandi Martyres longè diſtare à prophano Deorum Cultu inſanæ Gentilitatis, & gratiora vota Martyribus offerendi, Matrem ſuam ab Ambroſio didiciſſe teſtatur. Nullum nobis eſſe commercium cum Gentilibus per honorem exhibitum Martyrum Cineribus, & ſi epulas deferamus ad eorum Tumulos, conſtanter affirmat. Conſulant cap. 27. de Civitate Dei, ubi acutè quid Martyribus debeatur, quid Ethnici Diis ſuis redderent exponit. Niſi cæcutiant in meridie Calviniſtæ; crediderim non ſentire eorum erroribus adhæſiſſe Auguſtinum. Quot mirabilia enarrat, quæ operatus eſt Deus per Cineres Sanctorum, quæ ſummatim retulimus ex lib. 22. de Civit. Dei? Si autem velint, Auguſtinum reprobare conſuetudinem illam deferendi cibos, & vina ad Sepulcra Martyrum, cum jam ſublata fuerit illa conſuetudo, quid eis diſplicet? Si quædam ſimilitudo inerat cum parentalibus Gentium, veniant nobiſcum, ingrediantur Templa, manibus quidem vacuis, ſed Fide pleni, nihil timeant, non invenient, niſi panem, qui verbis conſecratoriis in Corpus, vinum, quod in Sanguinem vertitur Chriſti, at iſta non offerimus Martyribus teſte eodem Auguſtino: *Nec tamen*, in-

Lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.

inquit, *nos eiſdem Martyribus Templa, Sacerdotia Sacra, & Sacrificia conſtituimus: quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſane memorias eorum tanquam Sanctorum Hominum Dei, qui uſque ad mortem ſuorum Corporum pro veritate certarunt, ut innoteſceret vera Religio, falſis Religionibus, fictiſque convictis: quod etiam ſi qui antè ſentiebant timendo reprimebant: quis autem audivit aliquando Fidelium ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem, Cultumque conſtructum, dicere in precibus, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines, & Martyres fecit, & Sanctis ſuis Angelis Cæleſti honore ſociavit?* Hæc Auguſtinus. Fideles verò antiqui ſi quid ciborum, & vini attuliſſent, non ea Sacrificia Martyrum credebant, ſed vel ut comederent una cum aliis, vel ut diſtribuerent Pauperibus, ut dictum eſt. Si talis mos è medio ſublatus, non proſcriptus ideo fuit Cultus Sacrarum Reliquiarum, vel conventus Chriſtianorum ad Martyrum tumbas, ſed intemperantiæ vitium cum quodam loci ſacri contemptu, interdictum: non enim per ebrietatem Deus adoratur, vel Sancti honorantur: & ſi aliqui pietatem quærebant, plures indebitam voluptatem in illis cibis capiebant. Si demum Adoratores ſepulcrorum illi intelligantur, qui ſuper mortuos Parentes luxurioſiſſimè bibebant: quæſo quæ affinitas eſt cum devotè orantibus, & jejunantibus ad memorias Martyrum? In Eccleſia Dei illud genus hominum ſemper ſub deteſtatione fuit: pernicioſiſſimus error eſt ſic epulari ſuper mortuos, nec ebrietas vivorum mortuis prodeſſe poteſt; An nos hæc peragere quis dicat? Quam ſimi-

Digitized by Google

ſimilitudinem exhibeat inter illam ſuperſtitionem, & Cultum noſtrum? Si qui eſſent Adoratores ſepulcrorum eo modo, quo retulit Auguſtinus, Sectatores non haberent apud nos, ſed Judices ſeverè punientes ſentirent. Illa itaque objurgatio Auguſtini innoxiam devotionem noſtram minimè offendit, & quamvis clamitent Adverſarii, nos eadem perpetrare, quæ illi Adoratores, putida calumnia contemnenda eſt. Ethnici olim apud Auguſtinum dolebant, quod memoriæ Martyrum noſtrorum, Templis, eorum delubriſque ſuccederent, ut videlicet qui hæc legunt animo à nobis averſo, atque perverſo, putent à Paganis Deos cultos fuiſſe in Templis, à nobis autem coli mortuos in ſepulcris. Dolor illorum veſter factus eſt, & nos orare ad Sepulcra Martyrum non ſinitis, ſed cum in Domino mortui ſint, cum Chriſto vivunt: qui vos ſequuntut Sepulcrorum Adoratores dici promerentur.

De Civit. Dei lib.8. cap.26.

CAPUT VI.

Nullum ſubeſſe periculum in veneratione Sanctarum Reliquiarum, ut quod Deo debetur ſubtrahatur, & Sanctis reddatur.

COhibere linguam ſuam neſciunt moderni Calviniſtæ, & ſub ſpecie pietatis timent, nè taliter augeatur Cultus Sanctorum, ut inde quod unicè Domino debetur in ſervos transferatur; Hujuſce timoris cauſam indicant, quia eò devenerunt ſigna venerationis noſtræ, ut quod olim Patres noſtri reprobarunt, nos amplectamur; objiciebat Vigilantius cereos ad Martyrum Tumulos accendi lucente Sole: hæc fieri à Mulieribus reponebat Hie-

Hieron. adverſus Vigilan.

Hieronymus, zelum habentibus, ſed non ſecundum ſcientiam: hodie verò paſſim collucent lampades, accenduntur cerei ad Sepulcra Sanctorum, ut major horum apparatus inſpiciatur ubi Cineres alicujus Martyris requieſcunt, quam ubi verum Chriſti Corpus ſub Euchariſticis ſpeciebus aſſervatur; Templa noſtra, quæ ſoli Deo dicari innuit Auguſtinus citato ſuperius lib. 8. de Civit. Dei cap. 27. jam nomen, & omen mutarunt, nomen Domini perdidere, ut dicantur Divi Petri, Pauli, Franciſci, Dominici, Agatæ, Luciæ. Rudem Plebem plus confidere in particula Oſſis alicujus Sancti, quam in dextera Domini: unde illud verificatur: *Maledictus homo, qui confidit in homine*. Innumeras fraudes fieri, approbando falſas pro veris, emptiones, & venditiones cum periculo immutationis objecti veræ Religionis: quæ mala, nè ſequantur, ſat eſt, ut unus adoretur Deus, omni, & quocumque alio Cultu inferiori abdicato, nè in Idololatriam degeneremur cum Gentibus. *Jeremiæ 17. 5.*

Calviniſtas falſo pietatis zelo ſuccenſos aliqualiter ſolari curabimus, monentes primum ſibi timere, ſibique cavere. Nos qui intra ſinum Catholicæ Eccleſiæ, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, commoramur, edocti ſumus illic non trepidare, ubi nullus adeſt timor: augeri Cultum Sanctorum non pertimeſcimus cum ſubtractione honoris Dei, quia Sanctos honoramus propter Deum, nec Deum ſubjicimus Sanctis, ſed eos veneratione dignos cenſemus ex illa ſubjectione, quam ad Deum finaliter habuere. Majeſtatem Domini adoramus, fidelitatem Servorum commendamus. Servos exaltari ſupra Dominum tunc dicitur, quando quod ſoli Domino debetur, ab eo aufertur, & donatur ſervis;

Referant Calviniani, an viderint hoc factum fuiſſe in Eccleſia Dei? Quicumque reddatur honor Sanctorum Corporibus, ſeu Reliquiis, à vobis ut idololatricus judicatur: quem ergo exceſſum redarguitis in modo, qui ſubſtantiam ipſam condemnatis ſine modo? Sanctos, eorumque Reliquias poſſe religiosè coli abſque peccati macula probavimus: honorem, qui ipſis impenditur deſcripſimus, non eſſe ſupremum: Eccleſiam Catholicam nunquam docuiſſe, ut Numina, Sanctos eſſe colendos, nuſquam hoc factum fuiſſe, nec fieri potuiſſe. Perterrefacere nos vultis per futura tempora, quæ in veſtra poteſtate non ſunt, quaſi in poſterum ſimus exaltaturi Sanctorum Reliquias uſque ad ſolium Divinitatis; ſed non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Quæ non feciſtis in Sanctos Dei? quæ non ſcripſiſtis ut tolleretur de medio Cultus? Et tamen obtinere non potuiſtis, quia fortis armatus Chriſtus, Eccleſiæ Sponſus, cuſtodit Atrium ſuum, & cuſtodiet, donec militans in terris Eccleſia adjungatur illi, quæ in Cœlis regnat. Sicuti ergo Deo protegente, vobis contradicentibus, Sanctorum, eorumque, quæ ad ipſos ſpectant, honor ſervatus eſt, ita modus honoris, ſeu religioſi Cultus, abſque Divinæ Majeſtatis læſione ſervabitur. Sed cauſas timoris veſtri videamus. Accenduntur nunc cerei, dicitis, ad Sanctorum ſepulcra, qui mos apud Hieronymum non probatur. Contemnitis vos Sanctorum Reliquias, qui mos, ut execrabilis à Hieronymo reprobatur, quare vos non timetis? Primus mos diſciplinam tangit, quæ aliqualiter variari poteſt ab Eccleſia, quæ condit legem, temporum, & perſonarum conditionibus inſpectis. Alter verò Fidem evertere conatur. Fidei dogma eſt, an poſſint abſque labe Ido-

Idololatriæ Sancti invocari, eorumque Reliquiæ honorari: vos qui oppoſitum blaſphematis, Fidei unitatem ſcinditis, & meritò hæretici denotamini. Nos qui cereos accendimus, dumtaxat reprehendere poteſtis, quod Antiquorum diſciplinam in aliquo immutavimus; cauſa itaque timoris veſtri ſit ſuper vos. Temporibus Apoſtolorum Agapæ fiebant, in ſolemnitatibus Martyrum cibi deferebantur, ut ſupra relatum eſt: hæc diſciplina ſanctè inſtituta, quia in perniciem, ex hominum malitia, vertebatur Animarum, ſanctè etiam ſubmota fuit: *Præceptum eſſe iſta non fieri*, inquit Auguſtinus, *nec ab eis, qui ſobriè facerent, nec ulla occaſio ſe ingurgitandi daretur ebrioſis*. In ſacris Cœmeteriis noctem inſomnem ducebant orando utriuſque Sexus Fideles, attamen ad auferendos impiorum hominum prætextus, Illiberitani Patres ita decreverunt Can. 19. *Placuit prohiberi ne Fœminæ in Cœmeteriis pervigilent, eo quod ſæpè, ſub obtentu orationis, ſcelera latenter committant*: Quamvis itaque, tempore Hieronymi, lampades non collucerent, modo talis conſuetudo ſit, ut ante memorias Sanctorum ardeant, Fides nullum experitur detrimentum, nec eo augetur honor ſervorum, ut decreſcat Domini; Repetam cum Hieronymo, quem nobis proponunt: *Quicumque accendunt cereos, ſecundum Fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: unuſquiſque in ſuo ſenſu abbundet. Idololatras appelles hujuſmodi Homines?* Audiant Paulinum Hieronymo coævum ſic canentem.

Div. Auguſt. 6. Confeſſ. 2.

Hieronym. Epiſt. ad Riparium.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis Altaria lychnis,
Limina ceratis adolentur odora papyris,
Nocte, dieque micant: ſic nox ſplendore diei,

Fulget, & ipſa dies, cæleſti illuſtris honore,
Plus micat innumeris lucens gemmata lucernis.

Hæc cecinit Paulinus de Cultu Sancti Felicis Nolani, ſed in Judæa morabatur, quando volumen edidit contra Vigilantium Hieronymus, quare conſuetudinem accendendi cereos apud omnes, ibi non viguiſſe crediderim, ſed ſolum apud nonnullas Religioſas Fœminas; Ait enim: *Cereos, autem, non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, nè cæci tecum dormiamus in tenebris; Quod ſi aliqui propter imperitiam, & ſimplicitatem Sæcularium hominum, vel certè Religioſarum Fœminarum, de quibus verè poſſumus dicere; Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: hoc pro honore Martyrum faciunt, quid inde perdis?* Non improbat abſolutè Sanctus Doctor pium morem, cum dicat: facientes à Domino mercedem recepturos; ſed quia ſigna exterioris honoris ſacri, non ad libitum Sæcularium Hominum, vel Fœminarum inſtituenda ſunt, ideo placitum eorum, quibus cura Animarum demandata eſt, expectandum erat; Poſtmodum ubique gentium religioſa conſuetudo vim obtinuit; & Bracharenſes Patres ſecundi Concilii, tertiam proventuum partem Eccleſiæ, aſſignant pro luminaribus ejuſdem Eccleſiæ. In Africana Synodo quarta Can. 6. ſtatuitur, ut Acolytus accipiat ab Archidiacono ceroferarium cum cereo: *ut ſciat ſe ad accendendu Eccleſiæ lumina mancipari.* Dolent plura lumina extare ante Tumulos Sanctorum, quam ante Sacratiſſimum Chriſti Corpus: libidine contradicendi, non veritatis amore hæc proferunt. Acerbè blaſphemarunt contra auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Redemptor noſter divitias Amoris ſui nobis exhibuit

Adverſus Vigilantium cap. 3.

Digitized by Google

buit. Non adeſſe Corpus Chriſti, ſed figuram, deliravit Calvinus; Corpus eſſe, ſed una cum pane effutiit Lutherus: Sacramentum aſſeruit ſolum in uſu non permanens, aliaque horrenda dixere renovantes mortuam hæreſim Berengarianam. Nunc verò cauſantur ob paucitatem luminarium coram Chriſto, quem non adorant. Equidem fatemur in aliquibus Templis plures lampades ardere ante memorias Sanctorum, quam coram Chriſto, quem catholicè profitemur adeſſe realiter in Sacramento: at quis indicavit Calvinianis modernis plus honoris conferri ex hoc ſervis, quam Domino? Ille luminarium apparatus, nonnè cedit etiam in honorem Domini, qui coronavit ſervos? Si quis reddat Regi nummum aureum, ut conteſtetur dominium Regis ſupra Servorum bona, donet Servis decem, ut intercedant apud Regem, affirmabitur in majori exiſtimatione eſſe ſervum, quam Regem, quia ſervo dantur decem, Regi verò unus redditur nummus? Abſit hæc vilis excogitatio. Decem luminaria, ſi accendantur ad Sepulcrum Divi Petri, unum ante Altare Domini, decem ordinantur, ut Sancti orent apud illum, qui unus eſt Deus. Ille exterior Cultus ab interiori formam ſumit. Nullus eſt, qui Catholica Profeſſione cenſetur, qui neſciat plus honoris exhibendum eſſe Creatori, quam Creaturæ. Quamvis obſequii ſigna ſint, non creſcit ex numero luminum honor, ut ubi plures inſpexerimus ardere lampades, ibi judicemus majorem Cultum eſſe reddendum. Solum Sacrificium eſt, quod ſoli Deo debetur, hoc Sanctis offerre grande piaculum eſſet: illicitum eſt, enim, æquare Creaturam Creatori. Si opponerent Calviniſtæ, quod Sanctis Sacrificia redderentur, tunc, quidem, oſtenderent periculum, im-

immò re ipſa cultum Sanctorum augumentum ſumere uſque ad contemptum Dei: at cum nuſquam hoc viderint, fictitium periculum oritur ex eorum perfidia, non ex noſtra pietate. Habemus aliquid quo conteſtamur, & veneremur Omnipotentis Dei dominium, hoc nunquam Sanctis exhibetur: *Quis autem*, iterum loquor cum Auguſtino, *audivit aliquando Fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule?* Habemus, & alia ſigna Deo, Virgini, Sanctiſque communia, hæc ſi multiplicentur in Sanctorum honorem, nunquam pervenient ad ſupremum Cultum demonſtrandum, cum ſigna communia ſint, determinationem, ſi acceperint, vel ex perſona Sancti, & hæc creata eſt, vel reddentis, & hæc Chriſtiana eſt: Clarius expreſſit Auguſtinus: *Non autem iſta eſſe Sacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur Sacrificium Chriſtianorum*. Vos qui ignoratis Sacrificium Chriſtianorum, illud, inquam, Sacrificium incruentum, contra quod acuiſtis linguas veſtras, putatis quot luminaria ardent apud Sanctorum memorias, tot eſſe Sacrificia: at qui Catholici ſumus novimus unum ſupereſſe Sacrificium in nova lege expiativum peccatorum, rememorativum Chriſti Paſſionis, & Gratiarum actionis: hæc oblatio munda Corporis, & Sanguinis Domini Deo offertur: alia, quæ communia appellantur ſigna penſanda ſunt juxta communem Fidelium mentem, ac perſonarum merita, quibus ſacrantur. Aperimus caput Principi, Civibus, Servis, non tamen æquales arbitramur in civili honore, quamvis omnibus hoc commune ſignum exhibeamus. Hactenus de

Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.

næ-

Digitized by Google

næniis puerilibus, quas proponere non erubeſcunt. Templa noſtra nomen, & omen immutaſſe, unde noverint, fateor me ignorare: Deo non eſſe dicata aſſerunt; Adhuc in Catholica Eccleſia talia non vidimus Templa; cum dolore ſcimus plura ab Heterodoxis deſtructa, & ſi quæ apud illos remanſerint, ibi non invocatur, ſed blaſphematur nomen Domini: periit Sacrificium, & amplius non ſunt, qui veniant ad ſolemnitatem: Quod Jeremias flevit ſuper Hieruſalem, eſſet hodie in Civitatibus, ubi lues Lutheranorum, & Calviniſtarum graſſatur, repetendum; ſed cohibendæ ſunt lacrymæ in Civitatibus noſtris, ubique, enim, illud impletur: *Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis Gloriæ tuæ*. More Manichæorum, & Donatiſtarum invidia contabeſcunt, ſi viderint in Chriſti pace lætitias, frequentias, alacritates ad hymnos audiendos, & canendos, & ad verbum Dei percipiendum, celebres, hilareſque Conventus, & ut in omnibus morem nobis adverſum gerant, clamitant: Nomen, & omen mutarunt Templa Catholicorum: unde omen amiſerunt? fortaſſis ibi Diis, ſeu falſis Numinibus immolatur? Quia ſortiuntur nomen ab aliquo ex Martyribus, Domini non ſunt? Cujus Martyres ſunt, niſi Domini, cujus ergo erunt Templa, niſi illius, qui coronavit Martyres? Fatemur Auguſtinum ſenſiſſe ſoli Deo dedicari Templa: amplectimur quod catholicè docet illuminatiſſimus Doctor, ſed ſi unum Templum conſtruitur ſub titulo Deiparæ Virginis, aliud ſub Petri, vel Pauli, vel Joannis nomine, Deo non erigitur? Abſit hoc excogitare: *Nonne*, inquit Auguſtinus, *ſi alicui Sancto Angelo excellentiſſimo, de lignis, & lapidibus faceremus Templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab*

Pſal. 25. 6. 8.

Auguſt. lib. 1. contra Maximum arg. 11.

immò re ipſa cultum Sanctorum augumentum ſumere uſque ad contemptum Dei: at cum nuſquam hoc viderint, fictitium periculum oritur ex eorum perfidia, non ex noſtra pietate. Habemus aliquid quo conteſtamur, & veneremur Omnipotentis Dei dominium, hoc nunquam Sanctis exhibetur: *Quis autem*, iterum loquor cum Auguſtino, *audivit aliquando Fidelium, ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper Sanctum Corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule?* Habemus, & alia ſigna Deo, Virgini, Sanctiſque communia, hæc ſi multiplicentur in Sanctorum honorem, nunquam pervenient ad ſupremum Cultum demonſtrandum, cum ſigna communia ſint, determinationem, ſi acceperint, vel ex perſona Sancti, & hæc creata eſt, vel reddentis, & hæc Chriſtiana eſt: Clarius expreſſit Auguſtinus: *Non autem iſta eſſe Sacrificia Martyrum novit, qui novit unum, quod Deo illic offertur Sacrificium Chriſtianorum*. Vos qui ignoratis Sacrificium Chriſtianorum, illud, inquam, Sacrificium incruentum, contra quod acuiſtis linguas veſtras, putatis quot luminaria ardent apud Sanctorum memorias, tot eſſe Sacrificia: at qui Catholici ſumus novimus unum ſupereſſe Sacrificium in nova lege expiativum peccatorum, rememorativum Chriſti Paſſionis, & Gratiarum actionis: hæc oblatio munda Corporis, & Sanguinis Domini Deo offertur: alia, quæ communia appellantur ſigna penſanda ſunt juxta communem Fidelium mentem, ac perſonarum merita, quibus ſacrantur. Aperimus caput Principi, Civibus, Servis, non tamen æquales arbitramur in civili honore, quamvis omnibus hoc commune ſignum exhibeamus. Hactenus de

Auguſt. lib. 8. de Civit. Dei cap. 27.

næ-

næniis puerilibus, quas proponere non erubeſcunt. Templa noſtra nomen, & omen immutaſſe, unde noverint, fateor me ignorare: Deo non eſſe dicata aſſerunt; Adhuc in Catholica Eccleſia talia non vidimus Templa; cum dolore ſcimus plura ab Heterodoxis deſtructa, & ſi quæ apud illos remanſerint, ibi non invocatur, ſed blaſphematur nomen Domini: periit Sacrificium, & amplius non ſunt, qui veniant ad ſolemnitatem: Quod Jeremias flevit ſuper Hieruſalem, eſſet hodie in Civitatibus, ubi lues Lutheranorum, & Calviniſtarum graſſatur, repetendum; ſed cohibendæ ſunt lacrymæ in Civitatibus noſtris, ubique, enim, illud impletur: *Domine dilexi decorem Domus tuæ, & locum habitationis Gloriæ tuæ.* More Manichæorum, & Donatiſtarum invidia contabeſcunt, ſi viderint in Chriſti pace lætitias, frequentias, alacritates ad hymnos audiendos, & canendos, & ad verbum Dei percipiendum, celebres, hilareſque Conventus, & ut in omnibus morem nobis adverſum gerant, clamitant: Nomen, & omen mutarunt Templa Catholicorum: unde omen amiſerunt? fortaſſis ibi Diis, ſeu falſis Numinibus immolatur? Quia ſortiuntur nomen ab aliquo ex Martyribus, Domini non ſunt? Cujus Martyres ſunt, niſi Domini, cujus ergo erunt Templa, niſi illius, qui coronavit Martyres? Fatemur Auguſtinum ſenſiſſe ſoli Deo dedicari Templa: amplectimur quod catholicè docet illuminatiſſimus Doctor, ſed ſi unum Templum conſtruitur ſub titulo Deiparæ Virginis, aliud ſub Petri, vel Pauli, vel Joannis nomine, Deo non erigitur? Abſit hoc excogitare: *Nonne*, inquit Auguſtinus, *ſi alicui Sancto Angelo excellentiſſimo, de lignis, & lapidibus faceremus Templum, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab*

Pſal. 25. 6. 8.

Auguſt. lib. 1. contra Maximum arg. 11.

ab Eccleſia Dei, quoniam Creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo? Supremi, itaque, Cultus indicium eſt Templorum conſtructio, quoties ergo ædificantur, univerſorum Domino conſecrantur: illa nominum diverſitas, quam præſeferunt Templa noſtra, multiplicitatem gratiarum, ac Beneficiorum, quæ à Deo Sancti acceperunt, indicant: *Nos*, repetit Auguſtinus, *Martyribus noſtris, non Templa ſicut Diis, ſed memoria ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus, ſed uni Deo, & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus*. Quamvis Templum dicatur divi Petri, Domini tamen eſt ob memoriam victoriæ, quam fuit largitus eidem Petro, ut rectè ſuadet Auguſtinus: in eo gratias Deo agimus ob nobis conceſſa, intercedente Apoſtolorum Principe; illuc properamus, ut quæ nobis neceſſaria ſunt Apoſtolico interveniente ſuffragio, conſequi poſſimus. Nomina multa Templorum, quia Beneficia multa, ſed unus eſt Deus, à quo bona cuncta procedunt, in cujus Templis, Orationibus Sanctorum, & deprecationibus, ſuſcipiuntur preces noſtras, ut monet Cyrillus Hieroſolymitanus Cathacheſi quinta. Advertendum quod dixit Auguſtinus loco ſuperius citato de Civitate Dei: quamvis erigantur Deo Templa in memoriam Martyrum, Miniſtros tamen, qui ad ſacroſancta Myſteria recolenda deputantur, Sacerdotes Dei vocamus, non Franciſci, non Antonii, aut Agnetis: *Deo quippè*, ait, *non ipſis ſacrificat, quamvis in memoriam ſacrificet eorum: quia Dei Sacerdos eſt, non illorum*. Nomen ſortiuntur ſacræ Ædes à memoria hujus, vel illius Sancti, Dei enim ſemper recenſentur, quia Sacerdotes Dei ſunt, non San-

Auguſt. de Civit. Dei lib. 22. cap. 10.

Digitized by Google

Sanctorum. Qui divinis honoribus coli deſiderarunt ſibi Sacerdotes inſtituerunt; Svetonium adeant Novatores cap. 22., & intelligent Caligulam inter Deos adnumerari cupientem ſibi Sacerdotes inſtituiſſe. Ethnici, qui in pluralitate Deorum erravere, alios habuere Sacerdotes Iſidis, alios Jovis, alios Apollinis. Nos, qui in unius Fide conſtituti, ac complantati ſumus, plures Sacerdotes, ſed unius, & ſolius Dei poſſidemus. Templa plura ſunt, diverſis Nominibus indicantur, ſed ſicut Sacerdotes, ita Templa unius ſunt; illa Nominum multitudo inſtituta eſt, ut ſciat unuſquiſque quam multa Sancti, & nos precibus eorum, ab eo, qui unus eſt, acceperimus. Plura hæc Nomina, pluribus Interceſſoribus apud Deum nos indigere manifeſtant: non quod magis in particula Oſſis alicujus Sancti, quam in Deo confidamus, ut mentiuntur Hæretici. Nullus eſt, qui oret Cineres Sanctorum, ſed apud Cineres. Novimus Sanctos, Amicos Dei eſſe, inopiam noſtram orando aperimus, ut quod ob indignitatem noſtram obtinere non poſſumus, eorum meritis à Deo nobis donetur. Patrociniis Sanctorum coadjuvari poſſe credimus, at objectum ſpei noſtræ non ſunt Sancti; Fiducia noſtra, quæ firma, & roborata ſpes nominatur, in eo ſiſtit, ut æternalia bona, & temporalia in ordine ad Beatitudinem à Deo expectemus, precibus Sanctorum adjuvantibus, ut reddantur: hoc non eſt magis confidere in homine, quam in Domino: *Duo reſpicit Spes, ſcilicet bonum, quod obtinere intendit, & auxilium, per quod illud bonum obtinetur. Bonum, quod aliquis ſperat obtinendum, habet rationem cauſæ finalis: auxilium, per quod aliquis ſperat illud bonum obtinere, habet rationem cauſæ efficientis. In genere autem utriuſque cauſæ* *Div. Thomas 2.2. quæſt.17. artic.4.*

invenitur principale, & ſecundarium.. Principalis finis eſt finis ultimus, ſecundarius finis eſt bonum, quod eſt ad finem. Similiter principalis cauſa agens eſt primum agens: Secundaria efficiens eſt agens ſecundarium inſtrumentale. Spes autem reſpicit Beatitudinem æternam, ſicut finem ultimum. Divinum autem auxilium ſicut primam cauſam inducentem ad Beatitudinem: ſicut ergo non licet ſperare aliquod bonum præter Beatitudinem, ſicut ultimum finem, ſed ſolum ſicut id quod eſt ad finem Beatitudinis ordinatum, ita etiam non licet ſperare de aliquo homine, vel de aliqua Creatura, ſicut de prima cauſa movente in Beatitudinem: licet autem ſperare de aliquo homine, vel de aliqua Creatura, ſicut de Agente ſecundario inſtrumentali, per quod aliquis adjuvatur ad quæcumque bona conſequenda in Beatitudinem ordinata, & hoc modo ad Sanctos convertimur, & ab hominibus etiam aliqua petimus, & vituperantur illi, de quibus aliquis confidere non poteſt ad auxilium ferendum. En qualiter ſpei noſtræ fundamentum elucidet Angelicus Thomas Aquinas; Modus quo ad Sanctos convertimur, vel etiam rudis Populus, & infimæ Mulierculæ, non eſt talis, ut dijudicemus Sanctos daturos auxilium ad aſſequendam Beatitudinem, quam in Cœlis ſperamus, ſed impetraturos eſſe ab illo, cui dicitur: *Auxilium*
Pſal. 120. 2. *meum à Domino, qui fecit Cælum, & Terram.* Sed pro aliquo intercedere apud Deum, cum quædam ſit ſpecies auxilii, hinc fiducia noſtra ſe extendit ad Sanctos, tanquam ad cauſas ſecundas, & etiam ad oſſa, ſi velint, quibus aliquando utitur pientiſſimus Dominus, ut inſtrumentis, ad mirabiles ſanationes conferendas, uti de Cadavere Eliſei factum eſt ad ſuſcitandum mortuum. Sic confidere in homine non cadit ſub maledicto prænuntiato per Prophe-

phe-

Digitized by Google

phetas Jeremiam, & Eſaiam: *Maledictus homo, qui confidit in homine*: *Confidis ſuper baculum arundineum confractum..... cui ſi innixus fuerit homo intrabit in manum ejus, & perforabit eam*. Similes comminationes, quæ paſſim in ſacris litteris reperiuntur, illos afficiunt, qui contempto Deo, hominibus adhærent, ut hæc terrena finaliter poſſideant: hi quidem ſub maledicto ſunt: *Quid enim prodeſt homini, ſi Mundum univerſum lucretur, Animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*? Sic ponentes ſpem ſuam in filiis hominum, confidunt in baculo arundineo confracto: *Exhibit Spiritus ejus, & revertetur in Terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*: forabit manum illorum, quia nihil invenient viri divitiarum in manibus ſuis. At confidere in Domino, quod precibus Sanctorum ſit elargiturus æterna ad fruitionem, ac retributionem, temporalia ad uſum, adeo licitum exiſtimavit Paulus, ut dixerit: *Confido in vobis in Domino, quia nihil aliud ſapietis*: *Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis*. Mirè hic expreſſit Catholicorum fiduciam, ut obſtruantur ora calumniantium nos in Sanctorum Cultu: dixit, τὸ: *in Domino*, tanquam in primario Motore, & fine ultimo: τὸ: *in vobis*, tanquam in ſecundario Agente. Exemplo è Sacris Paginis deſumpto hoc lubet declarare. Iratus erat Dominus oneroſis Amicis Job, quia rectus ſermo de ore illorum non proceſſerat: reſpondit tamen Deus ſe veniam daturum, ſi offerrent holocauſta, & Job pro illis oraret; *Fecerunt, ſicut locutus fuerat Dominus ad eos, & ſuſcepit Dominus faciem Job. Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Job, cum ille oraret pro Amicis ſuis*. Quis neget delinquentes Amicos, à Domino veniam

Jerem. 17. 5.
Iſaiæ 36. 6.
Matth. 16. 26.
Pſal. 145. 4.
Secunda ad Theſſalonic. 3. 4.
Job 42. 9. 10.

Digitized by Google

peccatorum ſperaſſe, cui dubium ineſſe poterit fiduciam in labiis Job orantis pro Amicis, habuiſſe? Fortaſſis rei facti ſunt plus confidentes in homine, quam in Domino? Novum alienorum delictorum Scrutatores Calviniſtæ, invenerunt peccatum, quod Deus non cognovit; Si ſtetiſſet coram Amicis Job aliquis ex modernis Cavillatoribus, illicò repoſuiſſet: plus confiditis Amici in ulceroſo Jobo, quam in munificentiſſimo Domino, dabit Deus veniam, quid intermiſcentur labia hominis? Gratiam, & gloriam dabit Dominus, quid Martyris oſſa, quid pulvis Sanctorum juvant? Ut notam tamen faceret innocentiam Servi ſui Job, voluit Deus veniam Amicis ejus largiri. Negent Job orationes non conduxiſſe ad veniam impetrandam, & tunc delebitur illud: *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Job: cum ille oraret pro Amicis ſuis.* Et ſi eò adhuc eorum audacia non pertingit, addiſcant quid pulvis, quid oſſa Martyrum præſtent. At oſſa, inquies, pulvis, veſtis orare non poſſunt, ſicuti Job, qui vivens erat. Sancti, quorum ſunt oſſa, pulvis, veſtes, poſſunt orare, hoc credere neceſſe eſt: *Paulus Apoſtolus*, inquit Hieronymus, *ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in navi Animas condonatas, & poſtquam reſolutus eſſe ceperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt, & pro iis, qui in toto Orbe ad Evangelium ſuum crediderunt mutire non poterit?* Habent oſſa, habent cineres vocem ſuam, qua clamant ad Dominum: timeant hanc vocem Hæretici, nec dicant in contemptum Sanctorum, nos repoſuiſſe totam ſpem noſtram in oſſibus, fingentes emptiones, venditiones, quas nuſquam excogitavimus. Et ſi aliquando illicitæ venditiones, & emptiones ſubſecutæ fuerint, non ideo Religionis objectum fuit immutatum: non illicò

Hieronym. adverſus Vigil. cap. 3.

Digitized by Google

cò deſtruitur Fides, aut Religio, ac aliqua committitur culpa, etiam in ſubjecto peccante. Vera edocet Religio, non furandum, non mæchandum, ſi quis rem proximi ſui uſurpet, reus conſtituitur, non Infidelis, aut Hæreticus proclamatur. Fides eſt argumentum non apparentium, ſperandarum ſubſtantia rerum, quoaduſque revelatis aſſenſum præbemus ex motivo ſuperiori, primæ Veritati, quæ nec fallere, aut falli poteſt, innixi, Fidem ſervamus in corde. Si quis viderit Mulierem proximi ſui ad concupiſcendam eam, jam mæchus eſt in corde ſuo: ſi alter, nec viderit, nec concupierit uxorem proximi, dicat tamen cum pertinacia, licitum eſſe concupiſcere, & retinere alienam Mulierem, mæchus non eſt, tamen Hæreticus judicatur: uterque exul erit à Cœleſti Regno, ſi in illo ſtatu diem clauſerit extremum: unus malè operans, & ſi crederet: alter quia, & ſi recenſita mala non fecerit, dixit tamen eſſe facienda. Catholica Eccleſia nunquam ut licitam ſimoniæ labem approbavit: ſi in illis, quæ jure humano interdicuntur, fuerit interdum diſpenſatio ſubſecuta, penès Eccleſiæ Principem poteſtas eſt, nec mihi, nec opponentibus rationem reddere tenetur de æquitate in diſpenſando. Si verò aliquis violaverit legem divinitùs datam, ne de ſpiritualibus mercaturam exerceamus, peccatum unius, Eccleſiæ Sponſæ Chriſti innocentiam non maculat. Peccatum Proditoris Judæ Apoſtolorum cœtum non coinquinavit, nec quia unus in veritate non ſtetit, cœteri Apoſtoli, & Succeſſores ſunt perſequendi, & Eccleſiaſtica Hierarchia de medio tollenda. Cultus itaque Sacrarum Reliquiarum retinendus eſt, & commendandus, quamvis unus, vel alter ob damnabile lucrum diſſipet, vendat, emat Sacratiſſimos Cineres, alia-

Digitized by Google

aliaque execranda committat. Ex Chriſti latere aperto Eccleſiæ manavere Sacramenta, ſine quibus ad vitam, quæ verè vita eſt, non pervenitur. Vitæ oſtium mortis januam dicent, quia multi blaſphemantes contra Sacramenta inſurrexerunt? Et eo nequitia aliquorum proceſſit, ut pro ſortilegiis, incantationibus, aliiſque nefandis ſceleribus abuterentur? Ergonè accedendum non eſt ad Sacramenta, vel auferenda, quia aliqui iniqui ſunt, & pejores fiunt ſacrilega participatione Sacramentorum? Sancta ſunt, & Sanctitatem communicant Sacramenta, ſi quis dignè accedat, percipiat, utatur: Sanctitatem non amittunt, licet non conferant indignè ſumentibus. Laudabilis eſt Reliquiarum Cultus, Deo gratus, nobiſque proficuus, nihil in ſe continens mali, multa habens, ut proficiamus in bono, non culpandus, nec removendus Cultus, ſi alterius vitio id, quod ad bonum eſt inſtitutum, vertitur in malum. Piiſſima Mater Eccleſia Filiis ſuis conſulens Sanctorum Cineres publicè exponit, ut honorentur, non ut vendantur, & emantur: hæc iniqua mercimonia proſcripta ſunt inter Catholicos. Hæc dixerim dummodo Sacræ Reliquiæ ſint inter eos, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur. Si enim in manus impiorum devenerint, Turcharum, & Hæreticorum, laudabile eſſet ſummam auri offerre, ut redimerentur à vexatione, ab injuriis, ſacratiſſima pignora Sanctorum. Quare inclyta Venetorum Reſpublica ſemper defenſabitur à Deo contra impetum Inimicorum ſuorum, quia nihil exiſtimavit argentum, & aurum, ut à manibus Turcharum Corpora Sanctorum eriperet: Smirnenſis Eccleſiæ exemplum ſecuta, potiora lapillis pretioſis, oſſa Prophetarum, Patriarcharum, & Martyrum judicavit; Pro

hoc

hoc recto judicio Civitas Venetiarum habitabitur confidenter: Salvator cum Sanctis ſuis ponetur in ea murus, & antemurale, fortitudinem Orientalium Nationum abſtulit, quia Sanctorum Corpora dato pretio redemit, ut ei loco muri, & munimenti ſint. Urbem noſtram, ex qua hæc ſcribo, commendavit Chryſoſtomus, non ex copia auri, argenti, ædificiorum, columnarum, ſed quia in ea Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Corpora requieſcerent. Non deeſſet mihi laudis materies, ſi te jure, ò Civitas Venetiarum collaudare voluero: omitto in bello fortiter geſta, in pace optimè inſtituta, urbanitatem in exteros, æquitatem in tuos, ſatis te prædicant Sancti, quia donaſti ſacris eorum Cineribus habitaculum, à Saracenorum opprobriis vindicaſti,& ſupremæ Hieruſalem Cives,tuos habitatores feciſti; detrahant tibi heterodoxi, te laudabunt Fratres tui, Sancti tui, pro quibus Terra, Marique decertaſti, ut poſſideres ad Cultum, haberes ad munimen, æternum retineres ad Regnum. Contemnant ergo Calviniani has negotiationes, approbat illas Deus, nec ullum imminet periculum immutationis objecti Religionis. Plura mala timent futura, nos plura ſperamus obventura bona.

Demum quod extremo loco ſuperius dixerunt: ut adoretur Deus, omni inferiori Cultu abdicato,nè revertamur ad Idololatriam cum Gentibus, pietatis quidem ſpeciem videtur habere, ſed aſtutia ad decipiendos ſimplices abſconditur. Vellent enim paulatim Eccleſiam Cuſtodibus, & Protectoribus expoliare, ut eſſet in captivitatem, & prædam inimicorum ſuorum; Fideles inter tot Dæmonum inſidias oppreſſos optarent, ne ullus eſſet, qui adjutrices porrigeret manus Deum orando, ut conterat

ſa-

ſatanam ſub pedibus noſtris. Adoretur, inquiunt, Deus: & quis negavit Deum non eſſe adorandum, & orandum? Invocabat Dominum, qui dicebat, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Jacob; ſed Amicos exprimebat, ut miſericordiam facilius inveniret. Jacob moriturus Filiis Joſeph benedixit, & ait: Geneſ. 48. *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Iſaac: Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Iſaac, & creſcant in multitudinem ſuper terram.* Quamvis felicia deprecaretur à Domino Filiis Joſeph Sanctiſſimus Patriarcha Jacob, ut tamen creſcerent in multitudinem ſuper terram, Angelos, & homines, tam viventes, quam mortuos Divini Nominis invocationi adjunxit. Solus Deus erat daturus bona Ephraim, & Manaſſi, ſed Angelus, Abraham, & Iſaac à Jacob invocati, impetraturi erant, quæ pueris Deus elargiri decreverat: non indigebat quidem adjutorio Patriarcharum Altiſſimus, ut redderet juxta vota Iſrael duobus Filiis Joſeph: petiit tamen Jacob, ut oſtenderet plurimi valere apud Deum Sanctorum patrocinium, non ex neceſſitate, quæ in Deo ſit, ſed ex dignatione, & benignitate. Nimium præſumptuoſi inveniuntur Hæretici, ut recurrant ad Dominum nullo Amicorum Dei patrocinio ſuffulti. Quis dignis laudibus Sanctitatem Jacob celebrare poterit? Et tamen ſupplex invocavit Angelum, qui illum à malis eriperet, & quaſi in ſe non haberet, unde exaudiretur à Domino, obtulit merita Parentum pro Nepotibus. Si Juſti facere non erubuerunt, quid detrectant peccatores? puta indignabitur Deus, ſi inter

Digitized by Google

ter hujus vitæ pericula,plurium delictorum conſcii, implorenius ſubſidium illorum, qui illi placuerunt? *Incipiam*, inquit Origenes, *me genibus proſternere, & deprecari univerſos Sanctos, ut mihi non audenti petere Deum propter nimietatem peccati, ſuccurrant.* *Illum, igitur*, repetit Ephrem Syrus, *ò beatiſſimi viri, ò glorioſiſſimi Martyres Dei, me miſerum veſtris precibus juvate, ut in illa hora miſericordiam conſequar, quando manifeſta erunt occulta hominum. Tu verò*, addit Nanzianzenus in laudem Baſilii, *ò Sacrum, & Divinum Caput, è Cœlo nos, quæſo, inſpice, Carniſque ſtimulum à Deo nobis ad diſciplinam datum, aut precibus tuis ſiſte, aut certè, ut cum forti animo perferamus, perſuade, atque omnem noſtram vitam ad id, quod maximè conducibile eſt, dirige, noſque poſtquam ex hac vita migraverimus, illic quoque tabernaculis tuis excipe*. Quid memorem Gregorium Niſſænum, alioſque Patres, ſi hæc unà vox ſemper Juſtorum fuit, qui Deum adorarunt, & Sanctos honorarunt? Non timuerunt ad Gentium Idololatriam revertere, ante Sacras Reliquias ſe proſternendo, lacrymas profundendo, exorando Sanctos, ut omnium Judicem Deum illis placatum redderent: hæc fecerunt Sancti, hæc docuerunt poſſe fieri abſque injuria Creatoris. Hiſce autem miſerabilibus temporibus, quando homines bibunt, ſicut aquam, iniquitatem, ſi quid conferatur honoris Amicis Dei regnantibus cum Chriſto in Cœlis, uti grande piaculum reputatur, & interim, nec Deum, nec hominem reverentur Hæretici. Quomodo Deum adorant, quem perſequuntur in Amicis ſuis? Dixit olim Paulus Sacerdoti imperanti, ut percuteretur: *Percutiet te Deus paries dealbate*, & illicò pœnituit inquiens: *Neſciebam Fratres, quia Princeps eſt Sacer-*

Origen. in lamentationibus

Serm. de Sanctis Martyribus.

Orat. 20.

Actorum 23. 3. 5.

dotum : *Scriptum eſt enim* : *Principem Populi tui non maledices*. Verbulum unum dehonorativum Sacerdotis illius Legis, quæ jam ceſſaverat, ſi tantum diſplicuit Paulo, poterit nè placere Deo, quod puriſſima Mater, cui ipſe Deus tantum contulit honoris, contemnatur? Illa Corpora abjiciantur, ac ſi jumentorum eſſent, quæ pro Chriſti nomine non horruerunt vincula, carceres, & tormenta diriſſima? Quare abdicandus Cultus inferior, dum bene compatitur cum Catholicorum Religione? Non ſat eſt dicere, ut ſolus adoretur Deus, proſcribendus quicumque alter Cultus. Cur potius uni, vel alteri Hæretico acquieſcere debemus, qui ſola authoritate perſonali ſuadet Cultum Sanctorum eſſe deſtruendum, & non potius tot Sanctiſſimis Patribus, Eccleſiæ Matri, & Deo, Cultum commendantibus?

Innumeras fraudes audent nobis reponere, quia ſæpe fálſæ pro veris Reliquiis approbantur. Permittamus in uno, vel altero eventu aliquam poſſe fraudem reperiri, innumeræ ergo erunt? Quod rarò contingit, quomodo dicitur ſæpe evenire? Nunquid ſubtrahendus honor Sacris Reliquiis, quia inculpabiliter decipimur ab alterius malitia? Nulli honeſto homini eſſet caput aperiendum, falli enim poſſumus aperiendo viro immorigero, & inhoneſto; Nulli eſſet credendum, ſeu Fides adhibenda, cum aliquando contingat aliorum perfidiam augeri. Nè ergo decipiamur à proximo, quæ illi debentur, vel civili converſatione, vel ex humano convictu, omittamus, negligamus, non impleamus? Paulatim Mundus belluarum ſaltus eſſet, non rationabilium Creaturarum domicilium, ſed de hoc fuſiori calamo capite ſequenti.

CA-

CAPUT VII.

Quæ Certitudo requiratur ad hoc, ut poſſint venerari Sanctorum Reliquiæ.

ANtiquus humani Generis hoſtis Diabolus, qui Animabus noſtris inſidiatur, ut pereant, primum Hæreticos ſuſcitavit, ut bellum gererent adverſum Sanctorum Reliquias; ſtetit tamen de more victrix Eccleſia, commendans Filiis ſuis, ut honorarent Dei Amicos, nec contemnerent Corpora, aut alia, quæ ad ipſos Sanctos ſpectarent. Alterum ergo excogitavit modum, quo impugnaret Cultum, ſuadens ſciolis, ac parum devotis hominibus, non eſſe quidem detrahendum illis, qui ſacras venerantur Reliquias, verum unumquemque teneri certificari, an quod veneramur, & colimus, ſit tale, ut poſſimus abſque peccati macula reddere, quod Sanctis, & Amicis Dei jure deberi profitemur. Non exiguum, inquiunt, errandi periculum ſubeſſe dignoſcitur, ſi illicò properemus ad Cultum, neſcientes, an cineres ſint occiſi Militis in bello, vel Martyris Chriſti. Refert Auguſtinus quoſdam pſeudo-Monachos ſolitos ſuo tempore curſitare per vias cum Martyrum Reliquiis, ut illi affirmabant, ad auram Populi captandam, attamen meritò hæſitavit Sanctus Doctor, an Martyrum eſſent; Hinc in ore omnium eſt ejuſdem Auguſtini ſententia. *Multa Corpora ſunt, quæ veneramur in Altari, quorum Animæ torquentur in igne.* Novimus ex Severo Sulpitio Sanctum Martinum Turonenſem Antiſtitem cohibuiſſe Populum à Cultu, quia ignarus ſacros reddebat honores corpori cujuſdam facinoroſi,

Auguſt. lib. de Moribus Eccleſiæ.

& ebrioſi hominis; multa denique ex hiſtoricis monumentis referri poſſent, quæ comprobant præviam certitudinem neceſſariam ad Cultum.

Latet anguis in herba, ut mordeat occultè, & interficiat ſecurè. Scioli exquirunt certitudinem, ut retrahant à Cultu: ſi enim illos interrogemus, quæ ſufficiens ſit, ut ſacro veneremur obſequio Crucem Domini, Veſtes Deiparæ, Cineres Sanctorum? Summam reponunt, quæ nulli, vel materiali errori poſſit eſſe obnoxia. Verum hæc certitudo cum ferè impoſſibilis ſit, ſubtrahendus eſſet omnis Cultus Reliquiarum. Non multum ab hæreticis in facto diſtare arbitror hos indevotos homines: hoc unum intereſſe diſcrimen agnoſco, ut primi dicant: non honorandas eſſe Sanctorum Reliquias, alteri verò dicant honorandas, ſed non honorent. Quis unquam excogitavit certitudinem ſummam, quam Methaphyſicam appellant Scholaſtici, exoptari, ut veræ à ſuppoſititiis ſecernantur Reliquiæ, & publicæ exponantur venerationi? Mihi ſuſpectus eſt, qui nimius eſt in prædicta certitudine invenienda. Quod pendet ex nuda, & pura voluntate hominum fallibilium, gradum certitudinis ſummæ obtinere non poteſt, niſi conſtet voluntatem dirigi ſpecialiter à Deo, nè erret, uti de Summo Antiſtite Romano Eccleſiam Catholicam ſibi commiſſam ex Cathedra docentem, ac Patribus legitimè congregatis in Oecumenicis Synodis cum ſubmiſſione ad viſibile caput, à Spiritu Sancto manuduci, omninò ſentiendum: in aliis verò factis perſonalibus, quæ Juris admixtionem non patiuntur, moralem certitudinem, & gradualem expetere debemus, non ſummam, & quam dicunt methaphyſicam. Ut Fidei dogma amplectendum eſt Chriſtum ſub Euchariſticis ſpecie-

bus

Digitized by Google

bus latentem, eſſe adorandum, ut autem adoretur, non exigitur, ut per illam præfatam ſummam certitudinem, nobis innoteſcat particularem illam formulam, ſive, ut vocant hoſtiam, eſſe ritè conſecratam: accedit quidem verbum ad elementum, & fit Sacramentum; At verba Miniſtri Sacrificantis converſiva Panis in Chriſti Corpus, ſecretò proferuntur, & adſtantium aures non pertingunt: communis tamen uſus Credentium eſt, ut illicò ac elevatur à Sacerdote venerabile Sacramentum, adoretur abſque ulla cunctatione, non requirendo, an protulerit omnia, & ſingula verba, an aliquis audierit. Et quamvis elata voce verba proferantur, adhuc latet, an Miniſter contrariam cuſtodierit intentionem. In ultimo agone certantibus, defertur Dominicum Corpus: Quotannis recolitur memoria inſtituti Beneficii per ſolemnes Proceſſiones cum ſpiritali lætitia Populi Chriſtiani, & nuſquam factum eſt, ut requirerent Credentes, ut certò ſcirent, an Miniſtri debitam expreſſerint formam: an rectam ſervaverint intentionem. Oh ſummam Sciolorum, vel potius perditorum hominum dementiam. Oh deteſtandam perfidiam, quæ ſub prætextu debitæ certitudinis, debitam Chriſto, & Sanctis ejus ſubtrahit venerationem. Quando omnium Redemptorem in Sacramento latentem adorabimus? Veſtrum commune reſponſum novi; quando, ſcilicet, erimus omninò certi, quod verè adſit ſub ſpeciebus: at cum hæc certitudo nunquam in vobis ſit, nunquam ergo adorabitis Chriſtum, nunquam properabitis, ut reficiamini cœleſti pane, cum poſſibile ſit, ut defectu formæ, vel intentionis, illa ineffabilis converſio ſubſecuta non fuerit. Referat Sacerdos juxta inſtituta Divina omnia peregiſſe, adhuc non

non eſtis omninò certi, an ſeriò loquatur, vel potius decipiat: ergo nec Chriſtus in vobis erit, nec vos cum Chriſto: ſoli Miniſtri participes eſſe poterunt Sacramenti, & adorare, cum certi ſint de ſua intentione, & prolatione verborum: cæteri verò dimittantur jejuni, ut deficiant in via. Et rurſum cum illi, qui Sacerdos Dei nominatur, remaneat occulta intentio Antiſtitis ordinantis, longè fieri ab Altari per vos neceſſe eſt. En Sacramentum, pro ſalute omnium inſtitutum, à nemine percipietur, & Chriſtus, qui voluit nobiſcum eſſe uſque ad conſumationem ſæculi ſub viſibilibus ſpeciebus Euchariſticis, à nemine adorabitur. Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Qui credit, Chriſtum realiter adeſſe in Altaris Sacramento, adhæret Divinis promiſſis de cuſtodia Eccleſiæ: ſuavem Dei recolit Providentiam, quæ ita regit volubiles, ac defectibiles voluntates noſtras, ut quamvis poſſint Miniſtri Domini deficere, vel per ſubtractionem debitæ formæ, vel per appoſitionem contrariæ intentionis, hæc tamen communiter non eveniant. Acutè, ac piè explicuit hoc Eminentiſſimus, ac doctiſſimus Pallavicinus in Hiſtoria Concilii Tridentini. Si verò aliquando aliquis contingat defectus, non illi reprehendendi ſunt, qui adorant Sacramentum, quod ut tale communiter exiſtimatur, ſed ille culpandus Miniſter, qui occaſionem materialiter idololatrandi præſtitit: Deo exoſa eſt perfidia Miniſtri, accepta devotio Populi: punietur primus ob graviſſimum ſcelus: abſque mercede non erit alter ob innocentiam ſuam, quæ non evacuatur per aliorum malitiam. Scrutari autem, ſciſcitari, & interrogare non tenetur homo, antequam adoret Chriſtum in Sacramento ſuper forma, aut intentione Miniſtri: ſat eſt,

Pallavic. in Hiſtor. Conc. Trid. tom. 2. lib. 9. cap. 6.

Digitized by Google

eſt, ut ſit certus certitudine Fidei de præſentia reali Chriſti in pane ritè conſecrato, ut prudenter judicet venerandum in occurrentibus circumſtantiis publicæ elevationis, per Miniſtrum deportationis ad infirmos, ac Religioſæ reſervationis in Templis, & ſimilibus. Lubet hic Scholaſticorum Salmanticenſium doctrinam reponere: *Dicendum*, inquiunt, *Cultum eſſe actum Religionis, quæ fertur in objectum, ut prudenter apparet dignum veneratione: apparet autem, quoties nulla ratio ſe offert ad prudenter dubitandum de oppoſito: unde meritò adoramus Cultu abſoluto hoſtiam, quam videmus Populo adorandam proponi, ſicuti exercemus actum miſericordiæ circa illum, qui cenſetur pauper. Fides autem non fertur ad objectum, niſi ut verè revelatum à Deo, ut ſupra oſtendimus, undè quia Deus non revelavit hanc hoſtiam in particulari continere Corpus Chriſti, propterea id non credimus Fide Theologica, licet eamdem hoſtiam adoremus abſolutè, ſed Fidem referimus ad hoſtiam ritè conſecratam, ſive ad hoc, quod Corpus Chriſti continetur ſub ſpeciebus panis ritè conſecrati: cum autem dicitur Cultum eſſe proteſtationem Fidei, ſenſus non eſt, quod Fide Theologica credamus idipſum, quod colimus, ſed quod Cultus ortum ducat ex Fide, qua credimus aliquid eſſe ſanctum, & veneratione dignum, licet illud, quod hic, & nunc in particulari occurrit, ſanctum non ſit, ſi ſanctum apparet. Et ita accidit in exemplo relato, nam ex Fide Theologica, qua Chriſtum credimus eſſe in hoſtia ritè conſecrata, ortum ducit, quod hic, & nunc veneremur hanc hoſtiam, quæ revera conſecrata non eſt, ſed prudenter apparet conſecrata.* Hæc doctiſſimi Magiſtri, ſapienter de more admonentes, illam ſummam certitudinem à nuperis dubitantibus excogitatam, in Cultu particulari non requiri.

Salmanticen. To.7. Trac.17. Diſp.2. dub.4. §.1. n.94.

Sed

Sed revertamur, unde digreſſi ſumus, & ex ſimilitudine abſolutæ adorationis, quam reddimus hoſtiæ huic particulari, concludamus de Religioſo Cultu Reliquiarum. Itaque per Fidem edocti Catholici de reali pręſentia Chriſti in hoſtia conſecrata, tranſeunt abſolutè ad venerationem hujus peculiaris hoſtiæ: ita depoſitum ejuſdem Fidei cuſtodientes, quo inſtruuntur Sanctorum exuvias eſſe Religioſo Cultu honorandas, ducuntur, ut honorent Cineres Sancti Joannis de Nepomuceno, Sanctæ Agnetis Politianæ, quamvis non habeant ſummam certitudinem, quod oſſa, quæ venerantur, ſint Joannis, vel Agnetis. Certitudo, quæ nulli, vel minimo errori materiali ſubeſſe poſſit, non verſatur circa ſingulares Reliquias, ſed circa eaſdem univerſim ſumptas. Certum namque eſt certitudine Fidei, nos poſſe venerari Sanctorum Reliquias, at non eâdem certitudine novimus hanc, quam colimus Reliquiam eſſe Martyris, vel alterius hominis. Poſſumus tamen abſolutè honorare, ſicuti abſolutè adoramus hoſtiam. Confingant Adverſarii, qui accidere queunt, ex hominum nequitia, errores, non retardabimur à Cultu: neque enim eſt prudens ratio dubitandi, quod ſit, ex eo, quod poſſit eſſe defectus. Nunquam adorabimus Chriſtum in Sacrificio incruento, quia poterit eſſe, quod conſecrata non fuerit hoſtia? Nunquam digno honore proſequemur Reliquias Sanctorum, cum evenire poſſit, ut Sanctorum non ſint? Nunquam miſericordiæ actus erga miſeros exercere debebimus, quia poſſibile eſt, ut alterius inopiam, vel miſeriam non ſublevemus, ſed magis ſuperbiam provocemus? Referunt Auguſtinum ſubdubitaſſe de Reliquiis Martyrum, quæ à pſeudomonachis circumferebantur: rationale dubi-

tandi

tandi motivum in Sancto Doctore extitiſſe dicemus. Aliquando deceptos fuiſſe homines in Cultu Reliquiarum, putantes Sanctum venerari, & impium honorarunt, ultra concedere non ambigimus; & ſi Severi Sulpitii unum non ſat eſſet relatum exemplum, alterum ex Cap. *Audivimus de Reliq. & venerat. Sanctor.* adducere poſſemus: attamen inane eſt argumentum ab uno, vel altero facto, univerſaliter inferre de omnibus. Non prudens recenſendus eſſet, qui deceptus ab uno judicaret omnes homines decipere proximum. Urgent cautè procedendum in materia Cultus Reliquiarum, cum Chriſtianæ Religioni detractum ſit ſæpius, ut docet Innocentius Tertius. Verum doctiſſimus Pontifex aſſerit fuiſſe detractum ex eo quod quidam Sanctorum Reliquias exponerent venales, non quia Fideles has honorarent. Cautè quidem procedendum ab Epiſcopis antequam firmatas litteras concedant, nè variis figmentis, aut falſis documentis decipiatur Populus, ut innuit quartum Lateranenſe Concilium. Sed Prælati, & Populi non confundantur officia: quæ Lateranenſis, & Tridentina Synodus præceperunt, exactè ſerventur ab Epiſcopis, alii verò Deum honorantes in Sanctis ſuis, cum inſpexerint Reliquias authoritate eorum, ad quos ſpectat, recognitas, & publicæ venerationi expoſitas, poſſunt venerari: ſi aliquis fortè ſequatur error, non minuitur meritum, nec Sancti indignantur in illum, qui corde puro acceſſit ad eorum reputatas memorias, aliorum fraude deceptus. Ea nunc temporum conditio eſt, ut nonnulli omnia ferè ſub dubio exponant, & coram mulierculis, & indoctis hominibus diſſerant, vel de Sanctorum Reliquiis, vel Martyrum acta proponunt, ut vitiata, dubia, incerta, corri-

De Reliq. & venerat. Sanctor. Cap. cum ex eo.

Cap. cum ex eo.

Digitized by Google

genda. Quid quæſo hi ſermones, quid liberculi cum his diſceptationibus vernacula lingua operantur in Populo? Devotio, & ſimplicitas læditur, retardantur homines ab invocatione Sanctorum, & quæ ad imitationem referuntur exempla, parvipenduntur.

Extra campum jam calamus ferebatur: qui deſiderat contra Modernos dubitantes erudiri, videat plures, qui ſanæ doctrinæ jugiter adhærentes, abundè ſcripſerunt undè originem trahant ſimiles homines in omnibus dubitantes, & nunquam ad notitiam veritatis pervenientes. Revertamur itaque ad ſententiam, quæ Auguſtino tribuitur: *Multa Corpora Sanctorum veneramur in terris, quorum Animæ cruciantur in Inferno.* Sibi conſultum putant Adverſarii, nè Sanctos honorent, cum potius inferre æquiſſimum eſſet, tempore Auguſtini Fideles coluiſſe Cineres, quos Sanctorum exiſtimabant, licet tales non eſſent, & non longè fuiſſe Auguſtinum à tali Cultu oſtenditur, quia non dicit venerantur, ſed veneramur. Quò in loco tamen Auguſtinus protulerit illam ſententiam, fateor me ignorare, pluries quæſivi, & non inveni. Accidit hiſce diebus, ut perlegerem Opera doctiſſimi Proſperi Fagnani in ſecundum librum Decretal. de Teſtib. Cap. *venerabili*, & intelligerem non infimæ notæ homines hæſitaſſe, immò negaſſe illum dictum, quod ſub venerando nomine refertur, eſſe Auguſtini: *Non obſtat ultimum*, inquit Fagnanus, *tum quia dictum illud, licet paſſim tribuatur Auguſtino, tamen hoc negant Covar., & alii: ac præterea eſto illius Author fuerit Auguſtinus, tamen ſecundum Covar. ubi ſupra dum dixit: Multa Corpora Sanctorum veneramur in terris, quorum Animæ cruciantur in Inferno:*

hoc

hoc tantùm intellexit, videlicet, nos venerari plura Corpora, quæ putamus eſſe Sanctorum ab Eccleſia canonizatorum, & tamen non ſunt illorum, ſed potius damnatorum hominum, & fortaſsè Infidelium, latronum, ſicariorum, & hujuſmodi. Judicium ergo Eccleſiæ in hoc non fallitur, quia definit aliquem eſſe Sanctum, puta Divum Hieronymum, ſed non definit tale Corpus eſſe Divi Hieronymi, & fieri poteſt, ut Anima, quæ illud Corpus informabat, fuerit alterius, & crucietur in Inferno, licet nec circa approbationem Reliquiarum error ſit præſumendus, ut ibi per eum, maximè in Eccleſia Romana ad hoc Cap. 1. infra de Reliq., & venerat. Sanct., & notat per Joannem Andream in Cap. à nobis, il ſecondo num. 4. de ſent. Excommunic. Hæc Fagnanus. Permiſſa itaque authoritate Auguſtini, non inde ſequitur ſummum certitudinis gradum prærequiri antequam accedamus ad venerationem Reliquiarum, cum & illo caruiſſe dicat, & tamen à Cultu non ceſſaſſe profitetur.

Redibit iterum aſſerta authoritas in Tractatu Dogmatico de Canonizatione Sanctorum, ibique expendam, an debeat Auguſtino adſcribi, vel non: nunc ſatis ſit oſtendiſſe ſolam certitudinem moralem ſufficere, ut Sanctorum Reliquias debito honore proſequamur, errorem Communem non eſſe præſumendum, qui ſi aliquando ſequatur, non ideo remiſſiores eſſe debent Fideles in veneratione Sanctorum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Jacobi Piccinini audacia reprimitur.

STATUERAM amplius non immorari referendo, quæ moderni hæretici clamitant in Cineres Sanctorum. Satis me dixiſſe arbitrabar ad demonſtrandum Cultum, ſatis ad convincendum de falſitate negantes. Accidit autem, dum hæc ſcriberem, ut audaciſſimi hominis Jacobi Piccinini Opus perlegerem, & in Apologetico pro Novatoribus §. 12. nullius Religionis hominem viderim inſurgere adverſus Eccleſiam Romanam, quæ commendat Sacrarum Reliquiarum Cultum. Poſthabito quocumque ſigno, non ſolùm Chriſtianæ modeſtiæ, ſed humanitatis, quæ inter efferas gentes ſolet reperiri: totus eſt in dicteriis, totus in calumniis. Quò virus ſimplicium corda penetraret, noſtra vernacula lingua conſcripſit, ſeu blaſphemavit.

Itaque breviter, perſtrictè, atque ſummatim, quæ præſentis inſtituti noſtri propoſito adverſari videntur, proponam ad confutandum, remittendo Lectorem ad magnificum Volumen Eminentiſſimi Cardinalis Gotti, ſi optet uberius, plenius, ac planius totam Jacobi Piccinini audacem inſcitiam devictam.

Recenſito ergo articulo ait: *Rebellis vocari meritò poteſt ille Filius, qui dum oſtendit Reliquias Patris, Teſtamentum abſcondit, ejus præcepta contemnit; ſimiliter operatur Eccleſia Romana: Petri, & Pauli Sacra Scripta peſſumdat, & interim de eorum Reliquiis gloriatur. Nec arduum eſt cauſam perſcrutari; Abſque lingua ſunt Reliquiæ, nullum adeſt*

Digitized by Google

adeſt periculum, ut contra Pontificem clamitent; Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Capita, Romanas novitates non reprobant, uti eorum Scripta faciunt.

Nollem manſuetudinem oblviviſci, ſed quis valeat juſtam indignationem continere, audiendo, quæ Piccininus abſque ullo pudore, protulit? Contumax, & rebellis appelletur Filius, qui parvipendit, immò contemnit Præcepta Parentis. At Romanam Eccleſiam nihil æſtimare Scripta Apoſtolorum Petri, & Pauli dicit, ſed non probat Piccininus. Nunquam abſcondit Eccleſia, quæ pro ejus utilitate ſcripſerunt Apoſtoli, nunquam expunxit è cathalogo divinarum Scripturarum percelebrem Epiſtolam Pauli ad Hebræos, uti auſi fuere Centuriatores, Lutherus, Kemnitius, & alii, quos defendendos ſuſcepit Piccininus. Nunquam ſubdubitavit de ſecunda Petri; Illibatè cuſtodivit ſemper Eccleſia has ſacratiſſimas Epiſtolas, veluti ditiſſimum Patrimonium, ac venerabile Teſtamentum Parentum ſuorum, nihil contrarium addendo, nec minimum jota ſubtrahendo.

Novemdecim Sacræ Scripturæ loca depravaſſe, partim mutilaſſe Lutherum, compertum eſt apud Eruditos. Et ut ad rem noſtram propius accedamus: ubi in Paulinis Epiſtolis legitur: ad Romanos 3. *Arbitramur hominem juſtificari per Fidem*: addidit, *ſolùm*, ut operum neceſſitatem excluderet. Ad Galatas 4. *Factum ex Muliere*: adulteravit dicendo, *natum ex Muliere*: cum non pauca injuria puriſſimæ Dei Genitricis. Ad Epheſios 6. legitur: *Accipite armaturam Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtate*; abſtulit τὸ, *perfecti*, ut nihil unquam perfecti in homine ſtatueret, ſed omnia

omnia peccatum eſſe blaſphemaret, & ad Theſſalonic. 4. id quod habetur, *ut abſtineatis vos à fornicatione*: omiſit, ut liberius operibus carnis vacare poſſet. En qui depravarunt Scripta Apoſtolorum Petri, & Pauli. En qui abſcondunt Teſtamentum Parentum, vel ſi aliquando protulerint, mutilum, & cum adjectionibus contrariis. Catholica, autem, quæ Romana eſt Eccleſia, Cathedram habet veritatis, quam à Petro recepit, quamve per univerſum Orbem prædicari gaudebat Paulus, fideliter ſervavit depoſitum Sacrarum Scripturarum, & ſervatura eſt uſque ad conſumationem ſæculi. Quare Filiis ſuis pientiſſima Mater, & Parentum integrum Teſtamentum revelat, & eorum Sacras Exuvias, quibus divinitus locupletata fuit, exhibet ad venerationem; in utriſque gloriatur, utraque poſſidens. Caveant qui utriſque detrahunt hæretici. Nequit Eccleſia Romana timere; A tramite veritatis non deviaſſe ſcimus Matrem noſtram, quamobrem pertimeſcere non debet ſcripta Apoſtolorum, quaſi condemnantia novitates ejus, cum ſemel Fidei doctrinam ab eiſdem Apoſtolis acceptam, non dimiſerit. Cauſa ergo à Piccinino ſuperius adducta una cum Authore vileſcat, ac pereat, & Joannem Chryſoſtomum Urbem hanc noſtram collaudantem, etiam ex eo quod Corpora Sanctorum Petri, & Pauli poſſideat, audiamus: *Ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus dum viveret adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, & coram diſſeruit, & poſtremò vitam apud illos finivit. Cujus Sanctum Corpus ipſi poſſident: & propterea Civitas illa hinc facta eſt inſignis magis, quam ab aliis rebus omnibus: & tanquam Corpus magnum, ac validum duos habet oculos fulgentes: Sanctorum, videlicet, horun Corpora.* Non

Joan. Chryſoſtom. in Epiſt. ad Romanos ſerm. 32.

ita

ita Cælum ſplendeſcit, quando radios Sol dimittit, quemadmodum Romanorum Urbs duos iſtos fulgores ubique terrarum emittens. Horum Sanctorum Corporum fulgores ſuſtinere nequivit hæreticus, & ad tenebras mendacii confugit.

Sed videamus, an quæ in ſequentibus articulis dixerit. Articulo octavo: *Vigilantium inter hæreticos non eſſe adnumerandum cenſeo, quia ab Auguſtino, & Theodoreto in hæreticorum cathalogo non refertur, immò ab ipſo Hieronymo, ut Sanctus collaudatur: ejuſdem ſententiæ Vigilantium, & Hieronymum fuiſſe aſſero, quamvis unus alterius ſenſum non penetraret*.

Eruditiſſimum Opus Aurelii Auguſtini ad *Quodvultdeum* non legiſſe arbitror Piccininum, nam ſi ejus lectioni vacaſſet, alios intellexiſſet fuiſſe hæreticos, qui in illo opere non adnotantur. Ex Poſſidio cap. 5., ex Sancto Iſidoro cap. 9. de Viris illuſtribus, ex Primaſio Africano Epiſcopo, denique ex cenſura, quæ præfigitur operi ejuſdem Auguſtini, noſſe debuerat librum hæreſeon, morte interveniente, imperfectum ab Auguſtino fuiſſe relictum. Sed nè fortè poſſit nobis reponere librum ad *Quodvultdeum* imperfectum appellari, non in numero hæreticorum imminuto, ſed in altera parte, quam promiſit Auguſtinus, ſcilicet, *in poſterioribus partibus, quid faciat hæreticum, diſputabitur*, quæ diſputationes ob mortem tanti Doctoris deſiderantur, nè, inquam, hoc in ſui excuſationem adducat hæreticus conſulamus Auguſtinum, qui non omnes retuliſſe hæreſeos ingenuè fatetur: *Ecce*, inquit, *quam multas commemoravimus hæreſes, nec tamen modum tuæ poſtulationis implevimus. Ex quo, enim, Chriſtiana Religio* (*ut verbis tuis utar*) *hæreditatis pro-*

Div. Auguſt. ad Quodvultdeum.

Digitized by Google

promiſſæ nomen accepit, quæ hæreſes ortæ ſint, quomodo commemorare omnes potui, qui omnes noſſe non potui? Quod ideo exiſtimo, quia nullus eorum, quorum de hac re ſcripta legi, omnes poſuit: quandoquidem inveni apud alium, quas apud alium non inveni, & rurſus apud iſtum, quas ille non poſuit. Ego autem propterea plures, quam ipſi poſui, quia collegi ex omnibus, quas omnes apud ſingulos non inveni, additis etiam his, quas ipſe recolens apud ullum illorum invenire non potui. Unde meritò credo, nec me poſuiſſe omnes, quia nec omnes, qui de hac re ſcripſerunt legere potui, nec hoc quemquam eorum video feciſſe quos legi..... Audivi ſcripſiſſe de hæreſibus Sanctum Hieronymum, ſed ipſum ejus opuſculum, nec in noſtra Bibliotheca invenire potuimus, nec unde poſſit accipi ſcimus: quod ſi tu ſcieris perveni, & ego per te ad alîud perveniam, & forſitan habebis melius aliquid, quam hoc noſtrum: quamvis nec ipſum, quamvis hominem doctiſſimum omnes hæreſes arbitrer indagare potuiſſe, & certè Abeloitas noſtræ Religionis hæreticos, quantum exiſtimo, ille neſcivit, ſic fortè, & alibi alios in obſcuriſſimis locis reconditos, cjuſque notitiam ipſa locorum ſuorum obſcuritate fugientes.

Immunem vindicet nunc Vigilantium ab hæreſi Piccininus. Quia ab Auguſtino non fuit recenſitus inter hæreticos, ideo non erit talis? Firmiſſima Auguſtini ſententia eſt, nec Celſum omnes Philoſophorum ſectas, narraſſe, Sanctum Epiphanium Cyprium, Philaſtrium Brixienſem, nec doctiſſimum Hieronymum, omnes hæreſes retuliſſe, plures effugiſſe, & ipſum Auguſtinum in data authoritate cognovimus. Nihil enim confert cauſæ Vigilantii, ſi Auguſtini notitiam evaſerit. Abeloitæ hæretici erant, quamvis ignoraret Hieronymus, ſciret Auguſti-

guſtinus. Vigilantius itaque hæreticus fuit, quamvis ignoraret Auguſtinus, ſciret Hieronymus, qui niſi certior fuiſſet redditus per Riparium, & Deſiderium Presbyteros Gallos, ignota, & eidem Hieronymo remanſiſſet hæreſis Vigilantiana. Vix nata hæc hæreſis, fuit extincta, nec Sectatores habuit; Galli enim puritatem Fidei diligentes, illicò inſurrexerunt mittentes in Paleſtinam, qui nuntiarent Hieronymo omnium hæreticorum hoſti infenſiſſimo: hic acceptis litteris, unius noctis ſpatio, hæreſim, & Authorem repreſſit: adfuit, & providentia Dei terribilis in conſiliis ſuper Filios hominum; Immiſit, enim, barbaras gentes Gothorum, Alannorum in Galliarum Regna, & de medio impium cum ejus impietate abſtulit. Quid ergo mirum, ſi reticuerit hanc hæreſim Auguſtinus? Addere aliquid ex abundantia poſſumus, quod ſi Auguſtinus Vigilantii dogma ſciviſſet, nec in ſuo ſubnotaſſet libro ad *Quodvultdeum*, Auguſtinus eſſet trahendus ad ſenſum Eccleſiæ Catholicæ, non Eccleſia ad ſenſum Auguſtini: major eſt, enim, authoritas Eccleſiæ Catholicæ, quam Auguſtini, Hieronymi, vel cujuſcunque Doctoris in particulari: hoc dixerim, non ex neceſſitate: error, enim, ab Hiſpano homine in Gallias delatus, ſubitòque extinctus, qui dumtaxat poſt plura ſæcula revixit in Copronymo, in Witcleph, Luthero-Calviniſtis, à Sancto Doctore recenſeri non poterat, qui uſus fuit Cathalogo Tertulliani, Sancti Epiphanii, Sancti Philaſtrii; & Sancti Hieronymi Opus in ſua Bibliotheca invenire non potuiſſe profitetur. Sed ſi perſonam Vigilantii non ſubſignavit Auguſtinus, errorem confutaſſe ſuperius demonſtravimus Prima Parte Capite 3. Fortè ex Sanctis Patribus nullus eſt, qui

tantum deferat Reliquiis Sanctorum, ſicuti Auguſtinus. Caput octavum libri vigeſimi ſecundi de Civitate Dei relegat Piccininus, & deſinat irridere nobis, qui ſi quas patimur anguſtias, illicò recurrimus ad Memorias Martyrum, ibique addiſcet novum hoc non eſſe in Eccleſia Dei: paſſim in Africa fieri ſuo tempore teſtatur Sanctus Doctor: *Erat*, inquit, *quidam Senex Florentius Hipponenſis noſter*, *homo religioſus*, *& pauper*, *qui Sartoris ſe arte paſcebat*, *Caſulam perdiderat*, *& unde ſibi emeret non habebat*: *ad viginti Martyres*, *quorum memoria apud nos eſt celeberrima*, *clara voce*, *ut veſtiretur*, *oravit*...... *Ecce quomodo viginti Martyres te veſtierunt*. Et paulò poſt ſubdit: *Itemque apud nos vir Tribunitius Eleuſinus ſuper memoriam Martyris*, *quæ in Suburbano ejus eſt*, *ægritudine exanimatum poſuit Infantulum Filium ſuum*, *& poſt orationem*, *quam cum multis lacrymis ibi fudit*, *viventem levavit*: *quid faciam*? *Urget hujus Operis implendi promiſſio*, *ut non hic poſſim omninò commemorare quæ ſcio*: *& proculdubio plerique noſtrorum*, *cum hæc legent*, *me tanta prætermiſiſſe*, *quæ utique mecum ſciunt*, *quos jam nunc*, *ut ignoſcant rogo*, *& cogitent quam prolixi laboris ſit facere quod me hic non facere ſuſcepti Operis neceſſitas cogit*. Hæc Auguſtinus antiquam oſtendens conſuetudinem orandi, & recurrendi ad Martyrum Memorias: quare, ſi Urbs Romana ſub anno milleſimo ſeptingenteſimotertio, dum inſolitis vexaretur motibus Terræ, properavit ad Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli Sepulchrum, & eorum Sacras Reliquias publicè expoſuit venerationi; immeritò à Piccinino reprehenditur: nec repetat inquiens: *Vellem*, *ut unus Jeſuita mihi aſſereret*, *an antiqui* de-

Div. Auguſt. lib.22. de Civit. Dei cap.8.

Piccininus artic.12. §.6.

Digitized by Google

deferrent infirmos ad Sepulchra Sancti Stephani, Jacobi. Eleuſinus etenim, de quo loquitur Auguſtinus, Filium detulit ad Memoriam Martyris Stephani: ex ejus oleo perunctus revixit Irenæi Collectarii Filius: ex floribus cæca Mulier protinus vidit: Lucillus Epiſcopus fiſtula liberatus: hæc omnia operatus eſt Deus, narrante Auguſtino, cum ad Memoriam Stephani veniebat magnæ multitudinis concurſus, & occurſus. Hoc te, ò hæretice, edocere poſſunt Jeſuitæ, & deſinas admirari, ſi videris languidos efferri ad Sanctorum Sepulchra, ibique inſpexeris collucentes lampades, flores Altaria ornantes: hæc omnia à mille, & biſcentum elapſis annis in Dei Eccleſia fiebant, non contradicentibus, ſed approbantibus ſanctiſſimis, ac doctiſſimis Epiſcopis, qui & aliorum Sæculorum mores optimè noverant. *Auguſt. loco citato.*

Jam ferè exciderat quod ſuperius jactitabat Piccininus de titulo Sanctitatis Vigilantio attributo à Sancto Hieronymo: Fateor in Epiſtola ad Paulinum hæc habet Hieronymus: *Sanctum Vigilantium Presbyterum qua aviditate ſuſceperim, melius eſt, ut ipſius verbis, quam meis diſcas litteris, qui cur tam citò à nobis profectus ſit, & nos reliquerit, non poſſum dicere, ne lædere quempiam videar. Tamen quaſi prætereuntem, & feſtinantem paululum retinui, & guſtum ei noſtræ amicitiæ dedi, ut per eum diſcas quid in nobis non deſideres.* *Hieronymus Epiſt. 13. ad Paulinum.*

Scio Henricum Gravium inſignem Theologum Ordinis Prædicatorum ſubdubitaſſe, an Vigilantius, qui recenſetur in hac Epiſtola ad Paulinum, ſit idem adverſus quem fortiſſimè pugnat Hieronymus, ſed abſit hæc dubitatio: ſi quis enim vult contentioſus eſſe, hoc noſtra conſuetudo non pati- *Henricus Gravius in Epiſt. S. Hieronymi.*

 tur.

tur. Sit idem Vigilantius, qui uno tempore conclamatur ut Sanctus, in altero reprobatur ut hæreticus; In Paleſtinam ſpeciem pietatis præſeferens, in Galliis hæreticam pravitatem diſſeminans: brevi temporis intervallo, quo cum Hieronymo verſatus eſt, nihil in eo apparuit unde damnaretur, fortaſſis aliquid eluxit ut commendaretur. Sed cum ſola perſeverantia coronetur, & plures ſint quorum laudantur initia, titulus ille Sanctitatis nihil profuit Vigilantio, qui non perſeveravit. Quis Sanctum non appellaſſet Judam in initio Apoſtolatus? Quis non reprobaſſet Paulum, quando perſequebatur Eccleſiam Dei? In principio Judas Sanctus, & Apoſtolus, in fine proditor, & apoſtata. In principio Saulus judaizans, & perſecutor Chriſtianorum, in fine Paulus, & Prædicator veritatis. In Paleſtina itaque Vigilantius, Sanctus fuit vocatus à Hieronymo, in Galliis ut hæreticus ab eodem judicatus. Magnum quid eſt, ſi varientur nomina, cum varientur mores? Quamvis ut verum fateamur, hæſitavit ſemper Hieronymus de probitate, ac Fide Vigilantii, & in laudata Epiſtola ad Paulinum aliquid ſubindicant illa verba: *Qui cur tam citò à nobis profectus ſit, & nos reliquerit, non poſſum dicere, nè lædere quempiam videar*. Sed clarius loquitur Epiſt. 75. *Alterius potius acquievi, quam meo judicio, & oculis aliud cernentibus, aliud Schedulæ credidi, quam videbam*. Sanctum, uti erat, judicavit Hieronymus Paulinum Nolanum Antiſtitem; Sanctum appellavit Vigilantium propter Epiſtolam commendatitiam Paulini. Sanctitas aſſerta à Hieronymo reſpiciebat merita mittentis, non miſſi: aliud Schedulæ credidit, quam videbat; quid enim viderit declarat. *In hac Provincia*, inquit, *cum ſubi-*

Hieronymus ut ſupra.

Idem Ep. 75.

Idem adverſus Vigilantium.

ſubitus terræmotus, noctis medio omnes de ſomno excitaſſet: tu prudentiſſimus, & ſapientiſſimus Mortalium, nudus orabas, & referebas nobis Adam, & Evam de Paradiſo. Et illi quidem apertis oculis erubuerunt, nudos ſe eſſe cernentes, & verenda texerunt arborum foliis: tu & tunica, & Fide nudus, ſubitoque timore perterritus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, Sanctorum oculis obſcænam partem corporis ingerebas, ut tuam indicares prudentiam. Tales habet adverſarios Eccleſia: hi duces contra Martyrum Sanguinem dimicant. Ex his poſtremis verbis riſu excipiendum eſt quod vult ſuadere Piccininus, Sanctum, ſcilicet Hieronymum ejuſdem fuiſſe opinionis cum Vigilantio; Chriſtianæ pietatis officium dicebat Hieronymus, Martyres, eorumque Reliquias venerari; Vigilantius crimen idololatriæ clamabat. Qui Martyrum Baſilicas ingrediebantur ad orandum commendabat Hieronymus, ut verè Chriſtianos, ac Religioſos; Vigilantius reprobabat ut ſacrilegos, & cinerarios. Unus venerabatur prodigia, quæ in Sepulchris Martyrum operabantur: alter argumentabatur contra virtutes, & ſigna, & dicebat, ea prodeſſe incredulis, non credentibus. Si talia ſentientes ejuſdem judicas opinionis; de medio ſublata eſt omnis contrarietas. Paulatim Catholicos eadem ſentire cum Calviniſtis: Calviniſtas cum Mahumethanis: hos cum Ethnicis declarabis; hanc confuſionem optares, ut omnem deſtrueres Religionem! At nos ſemper conteſtabimur. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut, quæ pars Fideli cum infideli?* Una eſt Catholica Eccleſia extra quam eſt omnis hæreticus, quia propriam ſequitur electionem. *Secund. ad Corinth. 6. 14. 15.*

Digitized by Google

nem. Hieronymus docendo Cultum eſſe reddendum Sanctorum Reliquiis, Eccleſiæ Catholicæ tenebat unitatem. Vigilantius detrahendo Cultui, erroris ſui amplectabatur proprietatem. Penetravit ſenſum Vigilantii Hieronymus, & vidit illum longè recedere à veritate Catholicæ Fidei, ideoque Judæum, & Samaritanum judicavit. Nunquam adeo exarſit Sanctus Doctor, quam contra hæreticum hunc, & quamvis fateatur de ſemetipſo: *Nequaquam me hæreticis peperciſſe, & omni egiſſe ſtudio, ut hoſtes Eccleſiæ, mei quoque hoſtes fierent*. Tamen Ripario ſcripſit: *Fateor tibi dolorem meum; ſacrilegiam tantum Vigilantii, patienter audire non poſſum: legi enim Siromaſten Phinees, auſteritatem Eliæ, zelum Simonis Cananæi, Petri ſeveritatem Ananiam, & Zaffiram trucidantis, Paulique conſtantiam, qui Elymam Magum, viis Domini reſiſtentem, æterna cæcitate damnavit. Non eſt crudelitas pro Deo pietas, unde, & in Lege dicit: Si Frater tuus, & Amicus, & Uxor, qua eſt in ſinu tuo depravare te voluerit à veritate: ſit manus tua ſuper eos; & effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſrael*. Judicet nunc Lector, an ejuſdem fuerit opinionis Hieronymus cum Vigilantio? An unus alterius ſenſum non penetraverit?

Hieronym. adverſus Pelagium.

Idem qu. 53.

Verum aliquid permittamus Piccinino, ut ſciverit ſolus, quod alii nunquam ſcire potuerunt. Edoceat interim nos, quænam fuerit mens Vigilantii, ad quam pertingere non potuit acutiſſimus Hieronymus? Adaperiat nobis hanc parabolam, revelet Myſterium hoc magnum. Fortè Vigilantius indignas Cultu judicavit Sanctorum Reliquias? Et hanc blaſphemiam aptiſſimè novit, & exhorruit Hieronymus, quare Catholicæ Fidei zelo juſtiſſimè ſuc-

ſuccenſus, inſurrexit, ut deprimeret naſcentem hæreſim. Crimen Idololatriæ dixit Vigilantius ingredi Martyrum Baſilicas, & hoc delirium non ignoravit Sanctus Doctor, & ut liberaret ab inſania hominem, validum adhibuit medicamen, inquiens: *Sentio, ſentio infeliciſſimè Mortalium, quid doleas, quid timeas ..... Do conſilium, ingredere Baſilicas Martyrum, & purgaberis*. Adhuc unum ſupereſſe poterit in quo convenirent ambo: ut dicerent ſolum Deum eſſe adorandum, ſed ex hoc principio malè intellecto à Vigilantio, diſſenſionis caput oriebatur: inferebat Catholicè Hieronymus, Cultum ſupremum adorationis, quem latriæ vocamus, ſoli Deo eſſe reddendum: Sanctis vero religioſum honorem. Dedimus ſupra authoritatem Sancti Doctoris, quam, & hic libet repetere: *Nos autem, non dico Martyrum Reliquias, ſed nè Solem quidem, & Lunam, non Angelos, non Archangelos, non Cherubim, non Seraphim, & omne nomen quod nominatur, & in præſenti Sæculo, & in futuro, colimus, & adoramus, nè ſerviamus Creaturæ potius, quam Creatori; qui eſt benedictus in ſæcula. Honoramus autem Reliquias Martyrum, ut ejus cujus ſunt Martyres adoremus*. Honorem hunc proſcribebat Vigilantius dicens apud eundem Hieronymum: *Magnum honorem præbent hujuſmodi homines beatiſſimis Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos: quos Agnus, qui eſt in medio Throni cum omni fulgore Majeſtatis ſuæ illuſtrat*. Vide ſacrum honorem, quem fatebatur Hieronymus, denegatum Martyrum Reliquiis à Vigilantio. An autem aliud eſſet latens, in quo ad invicem convenirent, & non ſe intelligerent, nè temerè aliquid dicamus, à Piccinino expectabimus declarandum, interim ad alia tranſeamus.

Hieronymus Epiſt. 53.

Idem adverſus Vigilantium.

§. 33.

Digitized by Google

§. 33. Bellum indicit Sacris Peregrinationibus: *Currimus ab uno ad aliud Templum: ab Urbe Roma ad Ædem Lauretanam, ab hac Jeroſolymam petimus*. Paucis quidem, ſed irriſoriis verbis reprehendit antiquiſſimum morem inviſendi, ac venerandi loca ſacra. Ægrè ferunt Novatores has Peregrinationes, & Claudius Taurinenſis, Jona Aurelianenſi narrante, cum Crucis adorationem negaſſet, pariter deteſtatus fuit iter ſuſceptum devotionis: eadem impietatis veſtigia calcarunt Witclephiſtæ, Lutherani, Calviniſtæ, Peregrinationes votivas inanes conclamantes, in quibus operam, pecuniam tempus, ſtultè vulgus amittit.

Vos ergo ſoli ſapientes, voſque ſoli prudentes, quibus datum eſt, peregrinos non eſſe ſuper Terram, tempus non terere, & pecuniam reſervare? Sed oſtendite ex quibus Sacræ Scripturæ textibus prohibeamur adire loca Sanctorum? Non tantæ authoritatis eſtis, ut verba veſtra debeant abſque probantibus textibus ſuſcipi. Nos in ſimplicitate noſtra iter aſſumentes ad Memorias Martyrum, aliorumque Sanctorum viſitandas, exemplis Majorum provocamur, dicente Euſebio Cæſarienſi: *Nos Chriſtiani veræ pietatis milites, ut Dei Amicos honorantes, ad Monumenta ipſorum accedimus, votaque ipſis facimus tanquam viris Sanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum adjuvari profitemur*. Praſto etiam adeſt authoritas Divina, quæ Deum demonſtrat aliqua elegiſſe loca, in quibus vellet ſpecialiter honorari; & ut ad ea confluerent Populi, & Nationes. Phaſe debebat immolare Iſraeliticus Populus, at non in omni loco, nec in qualibet Urbe apparere neceſſe erat coram Domino, ſed Deus locum deſignavit: do textum: *Non poteris immo-*

Euſebius de præparat. Evangel. lib. 13. cap. 7.

Deuteron. 16. ſ. 6. 16.

molare Phaſe in qualibet Urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi..... tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit in Solemnitate Azymorum, & Solemnitate Hebdomadarum, & in Solemnitate Tabernaculorum. In libro primo Regum cap. 1. refertur Patrem Samuelis Elcana aſcendiſſe ſtatutis diebus de Civitate ſua, ut Domino Deo Exercituum in Silo ſacrificaret. Si dixerint inanem hanc Peregrinationem, à Sancta Muliere Anna Elcanæ uxore confundentur, quæ voti, & petitionis ſuæ fructum retulit à Domino: *Cum eſſet Anna amaro animo, oravit ad Dominum flens largiter, & votum vovit, dicens: Domine Exercituum, ſi reſpiciens videris afflictionem Famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederiſque ſervæ tuæ ſexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non aſcendet ſuper caput ejus.* Voti compos effecta Mulier, iterum Peregrinationem ſuam inſtituit, & aſſumpto Puerulo, quem ablactaverat, commodavit eum Domino: quamvis enim priùs aſcendiſſet Elcana, Anna noluit pergere, dum adhuc ab uberibus ejus penderet infantulus: *& adduxit eum ſecum poſtquam ablactaverat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & anphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo.* Multiplex hic peregrinandi modus deſcribitur, & ex præcepto Domini ad celebrandum Phaſe, & ut in ſanctiori loco Deus honoretur ad obtinendum beneficium, & pro accepto debitas ad reddendas grates. Quamvis primus modus adveniente plenitudine legis gratiæ, quia figurativus erat, ceſſarit, eique ſucceſſerit oblatio munda Corporis, &

1. Regum 10. 11.

Eo loco 24.

Sanguinis Domini, alii tamen ſuperſunt modi. Quovis enim tempore licitum redditur adire ea loca, in quibus magis abundè oſtendit Deus divitias miſericordiæ ſuæ, vota Fidelium ſuſcipit, ac exaudit. Nec unquam legimus objurgatam piam illam Fœminam, quia aſcenderit ad deprecandum Dominum, ut auferret à ſe opprobrium ſterilitatis, vel Puerum adduxerit, quem pepererat. Quinimò Eunuchum
Actor. 8. 27. Candacis Reginæ, dum veniſſet in Hieruſalem, ut adoraret, Fidei Myſteria didiciſſe novimus: Feſti-
Actor. 20.16. naſſe Paulum ſi poſsibile eſſet, ut diem Pentecoſtes celebraret Jeroſolymis. Sed quid dicet Piccininus de Puero Jeſu quotannis peregrinante in Hieruſa-
Lucæ 2. 41. 42. 43. lem una cum Sanctis Parentibus: *Et ibant Parentes Jeſu per omnes annos in Hieruſalem in die ſolemni Paſchæ, & cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Jeroſolymam ſecundum conſuetudinem diei Feſti, conſumatiſque diebus, cum redirent, remanſit Puer Jeſu in Hieruſalem, & non cognoverunt Parentes ejus.* Tantus occurſus erat Peregrinorum in Hieruſalem, ut multi ex gentibus inter eos numerarentur, qui venerant, ut adorarent. Religioſum itaque, ſi reputatum fuit, peregrinari in Hieruſalem ante adventum, cur poſt conſumatum noſtræ Redemptionis ſacroſanctum Myſterium, ut impium judicabitur? Sanguis Jeſu non habebit vim ſanctificandi celeberrimam illam Regionem, ut præ cæteris nequeat viſitari? Utinam mihi daretur adorare ubi ſteterunt pedes Jeſu, ubi natus, ubi crucifixus, ubi mortuus Dominus vitæ. Non alienum eſt, non ſuperfluum, ſed valdè congruum Catholicæ religioni ea inviſere loca, in quibus opus noſtræ ſalutis incepit, ut in Æde Lauretana; ubi impletum per mortem Chriſti; ac demum ubi fuit per

Mar-

Digitized by Google

Martyrum Sanguinem teſtificatum. Adeò ſolemne fuit Majoribus noſtris has Sacras Peregrinationes frequentare, ut poſſimus dicere cum Hieronymo: *Longum eſt nunc ab Aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui Eloquentium in Doctrina Eccleſiaſtica virorum, venerint Jeroſolymam, putantes ſe minus Religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruſcaverat.* Non ſtolidum vulgus recenſet Hieronymus properaſſe Jeroſolymam verſus, ſed Epiſcopos, Martyres, ac Eloquentiſſimos in doctrina Eccleſiaſtica, ut pium hunc uſum à nobiliori portione Gregis Chriſti incepiſſe intelligamus. Erubeſcant Lutherus, Calvinus, Piccininus, qui Sanctas Peregrinationes, ut fatui vulgi opiniones reprobarunt, ut inanes contempſerunt. Fatua ne Helena Conſtantini Mater, fœmina incomparabilis fide, & religione animi, ac munificentia ſingulari, quæ divinis, ut ait Ruffinus, admonitâ viſionibus Jeroſolymam petiit? Fatua Paula Romana, quæ teſte Hieronymo cuncta loca Jeroſolymis tanto ardore, ac ſtudio circuivit, ut niſi ad reliqua feſtinaret, à primis non poſſet abduci, proſtrataque ante Crucem, quaſi pendentem Domiuum cerneret, adorabat? Ingreſſa Sepulchrum reſurrectionis oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amoverat Angelus: & ipſum corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quaſi ſitiens deſiderantes aquas, fideli ore lambebat? Si fœmineam dixerint devotionem Heterodoxi, dignam clamabimus, ut illam imitentur viri. Ab hac devotione non abhorruit laudatus Hieronymus. Hanc futuram in Regibus, &

Hieronymus Epiſt. 19.

Ruffin. lib. 1. cap. 7.

Hieronymus Ep. 27.

Digitized by Google

Principibus hujus ſæculi, etiam ad Sanctorum Sepulchra, olim vaticinati ſunt Prophetæ, ut explicat Auguſtinus: *Videtis ipſa ſimalacra, vel confringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui, & contrà eadem ſimulacra, pro quibus hujus ſæculi ipſæ poteſtates Chriſtianos occidebant, impetus ſuos, legeſque vertiſſe, & imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad Sepulchrum Piſcatoris Petri ſubmiſſo Diademate ſupplicare. Hæc omnia Scripturæ Divinæ, quæ in manus omnium jam venerunt ante longiſſimà tempora, futura eſſe, teſtatæ ſunt.* Idem repetit Joannes Chryſoſtomus homil.66. *Chriſtus tunc omnem terrarum Orbem traxit ad ſe adorandum, cum mortuus fuiſſet. Quid de Chriſto loquor, cum & Diſcipulos, poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico Diſcipulos? Nam, & eorum loca, & Sepulchra, & tempora, perenni memoria celebrari curavit...... Itaque quo regias quidem aulas videat, nullus unquam peregrinatus fuit: multi verò Reges plerumque hujus ſpectaculi gratia peregrinati ſunt.* De ſemetipſo fatetur Sanctus Antiſtes magno deſiderio urgeri, viſitandi Carceres, & Catenas Apoſtoli Petri, præpediri tamen, paſtorali ſollicitudine: *Si ab Eccleſiaſticis curis*, inquit, *eſſem remotus; & eſſet mihi corpus ſanum, ac validum, non recuſarem hanc ſuſcipere Peregrinationem, ut ſolum viderem Catenas, & Carcerem, quo fuit vinctus.* Intermiſiſſe aliquando aſſiduam ſtudiorum occupationem Origenem, ut Romanam Eccleſiam inviſeret tempore Zephyrini Pontificis, teſtis eſt Euſebius: Ruffinum Aquilejenſem, & Melaniam Jeroſolymis excepiſſe, qui veniebant eò voti cauſa, Epiſcopos, Monachos, & Virgines, & omnes qui adventabant ſuis foviſſe expenſis, Palladius refert. Ad S. Hippoliti Templum,

Auguſtinus Epiſt.12.

Jo: Chryſoſt. homil. 13. in Epiſt. ad Ephеſ.

Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib.6. cap.12.

plum, quam magnus Peregrinantium acceſſerit numerus, mirè deſcribit Aurelius Prudentius, qui floruit ſub Theodoſio ſeniore, ſic enim hymno undecimo de Sancto Hippolito canit.

Manè ſalutatum concurritur, omnis adorat,
Pubes eunt, redeunt Solis ad uſque obitum:
Conglobat in cuneum latios ſimul, & peregrinos,
Permixtìm Populos Religionis amor.
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.
Jam cum ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalemque diem, paſſio feſta refert:
Quanta putas ſtudiis certantibus agmina cogi,
Quæve celebrando vota coire Deo.
Urbs auguſta ſuos vomit, effunditque Quirites,
Una, & Patricios ambitione pari.
Confundit plebeja Phalanx umbonibus æquis
Diſcrimen Procerum præcipitante Fide.
Nec minùs Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum
Indigena, & Picens, Plebs, & Hetruſca venit.
Concurrit Samnitis atrox, Habitator, & altæ
Campanus Capuæ, jamque Nolanus adeſt.
Quiſque ſua lætus cum conjuge, dulcibus, & cum
Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli Populoram gaudia campi
Hæret, & in magnis denſa cohors ſpatiis.
Anguſtum tantis illud ſpecus eſſe Catervis,
Haud dubium eſt, ampla fauce, licet pateat.
Stat ſed juſta aliud, quod tanta frequentia Templũ
Tunc adeat cultu nobile regifico.

Si

Si vellem Majorum noſtrorum deſcribere, ac omnes referre Peregrinationes, prolixitate, tædio afficerem legentes, nec ad finem pertingerèm laboris, fortaſſis inutilis, quippecum omnibus notum ſit in quovis ſæculo properaſſe ad loca celebriora, ubi Deus manifeſtabat Omnipotentiam ſuam. Eccleſiaſticas conſulere poterit Hiſtorias Piccininus, ubi morem antiquiſſimum, non inutilem, ſed valdè commendabilem ſemper viguiſſe intelliget, & dumtaxat poſt exortam hæreſim Witcleph, ac modernorum Novatorum, bellum incepiſſe contrà Sacras Peregrinationes: interim audiat Georgium Scholarium, virum inter Græcos ſapientiſſimum: *Ibi oportet eſſe Eccleſia, ubi Chriſti ſignum refulget, ubi palàm Chriſti Fides prædicatur, ubi terræ Reges, & Principes, venientes ad ſacra loca inſpicienda, & Apoſtolorum Capita adoranda, una cum illis, & Præſidem eorum Pontificem adorant, & ejus pedibus advolvuntur.*

Sect. 17. de Primatu Papæ.

Cabilonenſem Synodum ſub anno 813. celebratam nobis opponere poterunt, quæ Peregrinationes devotionis ergo, reprobare videtur.

Attamen Patres Cabillonenſes redarguunt illos, qui ſub prætextu devotionis circuibant, committentes ſcelera, aut audactèr per omnem viam iniquitatis incedebant, ſub ſpe veniæ impetrandæ, ad loca ſancta peregrinantes. Plurimùm errabatur à nonnullis ſivè Clericis, ſivè laicis, divitibus, & pauperibus, qui putabant impunè peccare, ſive peccaſſe, quia Sanctorum memoriam oraturi frequentabant. Patres ergo, girovagis delinquentibus modum imponere cupientes, aliqua ſtatuerunt circà Peregrinantes. Juvat eoſdem Patres audire cap. 44. 45. *Superiùs ſcripſimus Presbyteros*

Tom. 2. apud Bail. Sum. Conc.

teros villicos eſſe non debere, & nunc eos in Tabernis bibere, cancellarios publicos eſſe, nundinas inſolenter peragere, Romam ſive Turonum abſque licentia Epiſcopi ſui adire, penitùs decrevimus inhibendum. Nam & à quibuſdam, qui Romam, Turonumve, & alia quædam loca ſub prætextu Orationis inconſultè peragrant, plurimùm erratur. Sunt Presbyteri, & Diaconi, & cæteri in Clero conſtituti, qui negligentèr viventes, in eo purgari ſe à peccatis putant, & miniſterio ſuo fungi debere, ſi præfata loca attingunt. Sunt nihilominus laici, qui putant ſe impunè peccare, aut peccaſſe, quia hæc loca oraturi frequentant. Sunt quidam Potentium, qui acquirendi cenſus gratia, ſub prætextu Romani, ſeu Turonici itineris, multa acquirunt, multos pauperum opprimunt, & quod ſola cupiditate faciunt, Orationum, ſive ſanctorum Locorum viſitationis cauſa, ſe facere videri affectant. Sunt pauperes, qui vel ideo faciunt, ut majorem habeant materiam mendicandi: de quorum numero ſunt illi, qui circumquaque vagantes illò ſe pergere mentiuntur, vel quia tantum ſunt vecordes, ut putent ſe ſanctorum Locorum, ſola viſione, à peccatis purgari, non attendentes quod ait B. Hieronymus: non Jeroſolymam vidiſſe, ſed Jeroſolymis benè vixiſſe laudandum eſt. Hæc Patres Cabillonenſes nullimodè prohibentes ſanctas Peregrinationes, ſed ſolùm illas, quæ ſub ſpecie ſanctitatis, velamen erant plurium iniquitatum. Impensè laudant Patres eos, qui ſincero devotionis, ac Fidei affectu iter aſſumunt, caſtigantes corpus, & in ſervitutem redigentes, ut præteritorum delictorum veniam, Sanctis intercedentibus, impetrent, pro collatis bonis gratias agant; ſubdunt etenim laudati Cabillonenſes cit. cap. 45. *Qui verò peccata ſua Sacer-*

cerdotibus, in quorum ſunt Parochiis, confeſſi ſunt, & ab his agendæ pœnitentiæ conſilium acceperunt, ſi orationibus inſiſtendo, eleemoſynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apoſtolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inviſere deſiderant, horum eſt devotio omnibus collaudanda. Sæpe contingit, ut ea, quæ bona ſunt, ex Hominum nequitia vertantur in malum, & quod eſt inſtitutum ad ſalutem, ſit ad interitum: nec exemplis indigemus ad hoc demonſtrandum; quicumque rationis compos intelligit. Sicque accidit in Peregrinationibus ad limina Sanctorum, quæ ſi non aſſumantur ea rectitudine, quæ à Majoribus noſtris deſideratur, non proficiant: Quare Sanctus Baſilius dixit: *Verum enimverò, neque nundinationes illæ, quæ ad Sepulchra Martyrum celebrari ſolitæ ſunt, convenire Nobis putandæ ſunt: Neque enim, ullam aliam ob cauſam, adeſſe decet Chriſtianus ad Martyrum Conditoria, aut iſtis contigua loca inviſere, quam orandi cauſa, & ut Sanctorum conſtantiæ admoniti, in qua illi, nè pietatem amitterent, ad necem uſque fortiter perſeverarunt, ipſi quoque ad ſimilis fortitudinis æmulationem incitentur.* Defectum itaque reprehendunt PP., qui concomitari Pereginantes ſolet aliquandò, at loca inviſere ſacra orandi gratia, pietatis indicium eſt, & commendatur ab omnibus, qui intrà Catholicæ Eccleſiæ ſinum continentur.

Baſil. Regul. fuſ. diſputat. reſpon. 40.

Sed adhuc ſilere neſciunt Etherodoxi, & dicunt, Deum eſſe ubique, nec locorum anguſtiis circumſcribi, quarè peculiaria adire loca, eſt terminis immenſitatem, & Divinam Omnipotentiam colligare.

Sapientiſſimus Salomon, cui Deus contulit ſapientiam multam nimis, quamvis ſciret, Deum ubi-

ubique eſſe, fudit tamen preces in Templo, quod erexerat: *Et flexis genibus contra univerſam multitudinem Iſrael, & palmis in Cœlum levatis ait: Domine Deus Iſrael, non eſt ſimilis tui Deus in Cœlo, & in Terra, qui cuſtodis pactum, & miſericordiam cum Servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde ſuo . . . . ., & nunc Domine Deus Iſrael, firmetur ſermo tuus, quem loquutus es Servo tuo David. Ergò nè credibile eſt, ut habitet Deus cum Hominibus ſuper Terram? Si Cœli, & Cœli Cœlorum non te capiunt, quantò magis Domus iſta, quam ædificavi? Sed ad hoc tantum facta eſt, ut reſpicias orationem Servi, & obſecrationem ejus, Domine Deus meus, & audias preces, quas fundit Famulus tuus coram te, & aperias oculos tuos ſuper Domum iſtam, diebus, ac noctibus, ſuper locum, in quo pollicitus es, ut invocaretur nomen tuum.* Perdiſcant Novatores ex Salomone, Deum, qui Cœlum, & Terram implet, & ubique eſt, ſecundum imperſcrutabilem altitudinem conſilii ſui, aliquandò elegiſſe, & de die in diem eligere nonnulla loca, ubi ſpecialiter honoretur, & invocetur nomen ſuum, & exaudiat preces Servorum ſuorum, illuc in fide, & pietate accedentium. Quis umquam ex Fidelibus negavit, Deum ubique præſentem eſſe? Attamen, ſi voluerit potius hìc, quam alibi extendere mirabilia potentiæ ſuæ, quis poterit eum redarguere? Aut quarè Homines, ut rei judicabuntur, ſi properaverint ad prodigia, & ſigna Domini inſpicienda? Si opera manuum Hominum quis voluerit conſiderare, & longum aſſumpſerit iter, ſilent Hæretici; Si autem ſingularia, quæ Deus aliquibus in locis operatur, curramus, ut videamus, & Deum admirabilem in Sanctis ſuis prædicemus, illicò inſurgunt, quaſi ve-

2. Paralipom. 6. 13. 14. 17. 18. 19. 20.

Jonas Aurelianenſis de cult. Imagin. lib. 3.

velimus Deum limitibus circumſcribere: *Licet Deus*, inquit Jonas Aurelianenſis, *ubique præſens ſit, & omnia loca manus ejus fundaverint; Tamen Beati Abraham fidem probaturus, non in quocumque loco, ſed in Monte, quo ſibi placuit, Filium offerri præcepit, & trium dierum ſpatio, ad eumdem locum ſupradictum Virum ire voluit. Eumdem autem locum poſteà ob id fuiſſe clarum, atque inſignem traditur, atque à multis frequentatum; undè, & nomine: in Monte Dominus videbit: eſt inſignitus. Beatus item Moyſes, qui Populum Iſrael docuerat, Domini eſſe Terram, & plenitudinem ejus, Cœlum, & Cœlos Cœlorum: tamen præcepit eis, nè in omni loco, quem vidiſſent, ideſt, qui eis placuiſſet, victimas, & hoſtias offerrent: ſed locum, quem Dominus eorum elegiſſet, aſcendere eos juſſit, & ibi immolare hoſtias. Si locus retinens arcam inſenſibili ligno compactam, & à foris, intuſque deauratam, continentem Urnam Manna plenam, & Virgam unam, Tabulaſque lapideas, meruit nobilitari, tantaque frequentia Populi honorari: cujus putandus eſt ille Religionis, qui complectitur Corpus Apoſtoli, tanquam Cœleſtis Theſauri Arcam? Quibus omnibus docemur non improbandos, nec more tuo ſtultos, inſipienteſque appellandos eos, qui devotionis augumentandæ gratia, interceſſioniſque per ſuffragia quærendæ, Apoſtolorum adeunt limina: quia credimus, quod per hæc, non ſolummodo eorum mentibus adoleſcat Amor circa Divini Cultus ſervitutem, ſed etiam laboris ſui, atque itineris, quæ ſubire volunt intentione Divini Amoris mercede donentur.* Hæc Jonas Aurelianenſis acutè explicans nullum præjudicium inferri Divinæ Immenſitati, ſi ſpecialiter Deus adoretur, ubi refulget per mirabiles ſanationes Corporum, illuminationes Mentis, per

Digitized by Google

per ferventiorem, quam impartitur devotionem: ubique, quidem Deus eſt, & nullo continetur, vel includitur loco qui condit omnia: verumtamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt ejus conſilium perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, quare in aliis non fiant? Ea itaque adire loca, in quibus facta ſunt, & fiunt miracula, eſt Domini laudare potentiam; Ex ipſa viſitatione, ſeu Peregrinatione, accenditur charitas in Deum, & in Sanctos ejus: ex charitate zelus imitationis, ex imitatione deſiderium æternæ fruitionis, & conjunctionis. Et hæc, quidem, ſint ſatis contra ea, quæ objectat Piccininus: quamvis enim plura proferat contra Cultum Sacrarum Reliquiarum, indignum tamen, Theologo exiſtimo ea narrare, quæ aliena ſunt ab inſtituto præſentis Controverſiæ. Quis pacato animo poteſt ſuſtinere audaciam hominis effutientis, quod omnes Reliquiæ Sanctorum, quas venerationi exponunt Jeſuitæ, ſi ad pondus Sanctuarii adducerentur, invenirentur falſæ? Putat ſatis conſultum ſuæ cauſæ, adducendo quæ omninò ignorat, affirmando quod ſcit certò mendacium eſſe. Vidit in opere Pauli Segnerii incredulorum excuſationes devictas, modum vindictæ excogitavit, calumniam compoſuit, quæ nulli homini placere poteſt, cum lividum animum dumtaxat demonſtret. Demum, ſi illæ Reliquiæ non ſunt Sanctorum, quid contra Cultum Sanctorum peractum? Satis ſuperiori Capite oſtenſum eſt quid requiratur, ut cum fructu veneremur Sacras Reliquias. Extra campum fertur Piccininus, quando probat nonnullas Reliquias, Sanctorum non eſſe; Si tales non ſint, & ita judicaverint, quibus hæc Provincia demandata eſt, manus dabimus, nè ho-

Digitized by Google

norentur: ſolas enim Sanctorum Reliquias obſequio dignas affirmamus: nobis autem duriuſculum apparet, judicium Piccinini pondus eſſe Sanctuarii: æquitatem perſpectam non habemus hominis iſtius, ut credere debeamus longè eſſe ab eo pondus, & pondus. Undè novit quod illæ Reliquiæ, quæ apud Jeſuitas exponuntur ad Cultum, ſint ſuppoſititiæ? Qui calumniam ſtruit fortaſſe clamitat ita eſſe, quia ipſe dicit? Sed Calumniatoribus fidem adhibendam eſſe ignoramus. Si negaverit calumniam, onus ſuſcepit probandi vera eſſe, quæ protulit, quod cum hucuſque non fecerit, ſecundum leges, etiam apud barbaras Nationes receptas, condemnandus Piccininus, abſolvendi ſunt Jeſuitæ. Si cum jura partium ſunt obſcura, reo potius favendum, quam Actori, quid faciendum quando Actoris jura nulla ſunt? Nullus erit in Orbe innocens, ſi ſufficiat accuſare; nec repetat: nullus erit in Terra nocens, ſi ſufficiat excuſare. Innocentiam etenim non deſtruit accuſatio, nocentiam non repellit excuſatio, ſed unam, vel alteram firmat probatio. Jam Patres Societatis firmum Innocentiæ robur manifeſtant, cum recognitas authoritate Prælatorum in Templis proferunt ad venerationem Reliquias; Statuta Patrum Tridentinorum ſervantes, omnem culpæ ſuſpicionem evacuant; Sola ergo remanet accuſatio hæretici Jacobi Piccinini, quæ omni, vel apparenti approbatione deſtituta, illum calumniatorem demonſtrant. Sed, ut dixi, extra campum fertur impugnans Cultum Sacrarum Reliquiarum, ut ſaltem fugiens poſſit victor acclamari. Revocetur itaque ad pugnam, nec aliud fingat diſſenſionis caput. Quod Catholica profitetur Eccleſia publicè exponimus, & defenſamus: Sanctorum, ſcilicet, Cineres ſa-

Digitized by Google

ſacro dignos eſſe honore. Cum non potuerit hanc veritatem, divinitus revelatam, evertere, redarguit, quod Cineres, qui in Eccleſiis degunt Jeſuitarum, Sanctorum non ſint. Quid hoc, quæſo, ad diſſidium noſtrum? De Cineribus aliorum, qui Sancti non ſunt, nec nuncupantur, quæſtio non eſt. Noli fugere Miles, noli ſigna deſerere. Peccant, inquis, Jeſuitæ: nec Jeſuitarum crimina ad noſtram pertinent controverſiam, ſed Sanctorum merita, quid ſi Jeſuitæ peccaverint? *Quid ergo*, inquit Tertullianus, *ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi Vidua, ſi Virgo, ſi Doctor, ſi etiam Martyr lapſus è regula fuerit, ideò hæreſes veritatem videbuntur obtinere? Ex Perſonis probamus Fidem, an ex Fide Perſonas?* Si vera aliorum crimina non tollunt culpas, errores, hæreſeſque Piccinini, quanto magis conficta? Non quia receſſerint Jeſuitæ à veritate, hæreſes obtinent firmitatem. Catholicæ Eccleſiæ Fides fortaſſis nutat, quia nonnulli è regula ſint lapſi? Non ideò Eccleſia Catholica eſt columna, & fundamentum veritatis, quia adhæret Jeſuitis, ſed Jeſuitæ probantur Fideles, & Catholici, quia adhærent Eccleſiæ, illamque ut Matrem, & Magiſtram venerantur. Sed nimium indulſi calamo revocans hominem ad certamen, qui cum non habeat arma ad præliandum contra Dominum, Servos vult percutere Domini. Avolent tamen, quantum volunt paleæ, levis, vel potius nullius Fidei, quocumque afflatu tentationum, eo purior maſſa frumenti in horrea Domini congregabitur. Huc, illucque divertat, currat heterodoxus, modò improbet Cultum, quem dedimus Sanctorum Exuviis, modo aſſerat Cineres non eſſe Sanctorum, cum Auguſtino ad Dominum clamabimus: *Improbatio, quippe, hæreticorum, facit eminere, quid*

Tertull. de Præſcr. cap. 3.

Aug. 7. Confeſſ. cap. 19.

Eccle-

Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana Doctrina. Oportuit, enim, & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fierent inter infirmos.

CAPUT IX.

Sanctos noſtras preces audire demonſtratur.

AD finem properantes Opuſculi, illud diſcutere libet, an preces, quas fundunt Fideles ad Memorias Sanctorum, audiantur ab ipſis Sanctis. Heteredoxi ſupervacuum dicunt Sanctorum opem implorare, cum neſciant mortui, quid inter vivos
Eſaiæ 63. 16. peragatur: *Mortui nihil noverunt amplius*, ut dicitur Eccleſiaſt. nono. Et Eſaias clamat: *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos*. Hinc piiſſimo Regi Joſiæ, pro magno beneficio promiſit Deus, quod ante eſſet moriturus, nè videret mala, quæ
Primo Regum 22. 16. 17. 18. 19. 20. ventura illi loco, & Populo minabatur: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Dicite viro, qui miſit vos ad me: hæc dicit Dominus: Ecce ego adducam mala ſuper locum iſtum, & ſuper habitatores ejus omnia verba Legis, quæ legit Rex Juda; quia dereliquerunt me, & ſacrificaverunt Diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manum ſuarum: & ſuccendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur. Regi autem Juda, qui miſit vos, ut conſuleretis Dominum, ſic dicetis: hæc dicit Dominus Deus Iſrael: pro eo quod vidiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum iſtum, & habitatores ejus, quod videlicet, fieret in ſtuporem, & in maledictum, & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleviſti coram me, & ego audivi,* ait

ait Dominus : idcircò colligam te ad Patres tuos , & colligeris ad Sepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala , quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum . Ex his , quæ Sacer indicat Textus , datur intelligi, mortuos , etiam Juſtos , ac Sanctos , quæ in Mundo accidunt , ſive mala , ſive bona , omninò ignorare , ſi flens coram Domino Joſias obtinuit colligi ad Patres ſuos , nè videret , quæ Deus inducturus erat ſuper Judam . Qualis enim miſericordia fuiſſet auferre Sceptrum Regni per mortem Joſiæ , ac talem ei ſtatuere locum , ubi omnia, quæ comminatus fuerat Dominus, mala vidiſſet ? Si prænuntiatum malum adeò perterruit Joſiam , ut largiter fleret , & ſcinderet veſtimenta ſua , quid non feciſſet viſum ? Et ſi ſublatus ideò dicitur Joſias, nè videret quæ in hoc viſibili mundo fiunt , dicuntur , & accidunt , mortuorum cognitionem effugiunt , omninò latent, nec vident , nec intelligunt mortui .

Accedit ad hæc argumentum Auguſtini lib. de Cura pro Mortuis cap. 13. *Si rebus Viventium intereſſent Animæ Mortuorum , & ipſæ nos quando eas videmus , alloquerentur in ſomnis ; ut de aliis taceam me ipſum pia Mater nulla nocte deſereret , quæ terra, marique ſecuta eſt , ut mecum viveret . Abſit enim, ut facta ſit vita feliciore crudelis uſque adeo , ut quando aliquid angit cor meum, nec triſtem Filium conſoletur, quem dilexit unicè , quem nunquam voluit mæſtum videre .* Advertendum Sanctum Doctorem loqui de Animabus cum Chriſto regnantibus : loquitur enim de piiſſima Matre Monica , quæ ob meritum præſtantiſſimæ vitæ , jam Deo fruebatur , & tamen in illo ſtatu Beatitudinis , quid vellet , quid ex ea deſideraret Auguſtinus , neſcit : & Mater , quæ in vita adeò anxia fuit pro ſpiritali ſalute Filii , mærorem

Au-

Auguſtini blandè fuiſſet conſolata, ſi ſciviſſet, aut ſi Mortui Vivorum rebus, atque actibus cognoſcendis, adjuvandiſque intermiſcentur. Conſulendus Origenes lib. 11. in Epiſt. ad Romanos: Gregorius Nanzianzenus in funebri oratione Gorgoniæ Sororis, qui eandem cum Auguſtino amplecti videntur ſententiam.

Novus non eſt iſte error hæreticorum modernorum, ſed renovatus: Vigilantius ſiquidem, cum omnem Sacrarum Cultum Reliquiarum ejuraſſet, Catholicis irridendo, opponebat: Sanctorum Animas circumvolare Sepulchra Cinerum ſuorum, nè ſi aliquis precator acceſſiſſet, abſentes audire non poſſent: *Et poſt hæc*, inquit Hieronymus, *de baratro pectoris tui cænoſam ſpurcitiam evomens, audes dicere. Ergo Cineres ſuos amant Animæ Martyrum, & circumvolant eos, ſemperque præſentes ſunt, nè fortè aliquis precator adveniat, abſentes audire non poſſint?* Contempſit argumentum Vigilantii Hieronymus, oſtendens in eam incidiſſe dementiam Hæreſiarcam, ut plus concederet Diabolo, quam Martyribus, ac Beatis, qui ſequuntur Agnum quocumque ierit. Incluſæ dicebantur à Vigilantio Animæ, vel in ſinu Abrahæ, vel in loco refrigerii, vel ſubter Aram Dei, nec poſſe ſuis Tumulis præſentes eſse, ut poſtulantium Orationes audiant: inferebat acutè Hieronymus, plus poſse Diabolum in igne, quam Sanctos in Regno, quippècum adverſarius noſter celeritate nimia toto vagetur Orbe, & præſens ſit ad ruinam plurimorum: *Tu Deo legem pones? Tu Apoſtolis vincula injicies, ut uſque ad diem Judicii teneantur, nè ſint cum Domino Deo ſuo? De quibus ſcriptum eſt: Sequuntur Agnum quocumque vadit: Si Agnus ubique, ergo & hi, qui cum Agno ſunt,*

Hieron. adverſus Vigilant.

Idem eo loco.

ſunt, ubique eſſe, credendi ſunt. Et cum Diabolus, & Dæmones toto vagentur Orbe, & celeritate nimia ubique præſentes ſint: Martyres poſt effuſionem ſanguinis, arca operientur incluſi, & inde exire non poterunt. Ex hoc Sancti Doctoris teſtimonio, clarè patet non ſubdubitaſſe Patres, Sanctos, ad quos preces porrigimus, audire nos orantes, dum ſi qui oppoſitum ſentirent, inter hæreticos adjudicabant, & meritò quidem; nam ſi in hac mortali vita dedit nobis Deus, ut ſenſum aperiremus noſtrum per litteras inter abſentes, & innoteſcerent vota noſtra, etiam illis, qui à nobis longè poſiti ſunt, quanto magis in Regno Beatitudinis decuit Deum Sanctis donaſſe, ut nos intelligerent, & cognoſcerent quid ab eis expoſcimus. Decurtant felicitatem Sanctorum, qui volunt ea ignorare, quæ declarant plenitudinem gaudii ſupernæ Beatitudinis. Clamabat Regius vates: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. *Pſalm. 16.* Hanc ſpiritalem ſatietatem denegat, qui naturalem inclinationem Beatorum, ſciendi quid hic de ipſis cogitetur, aut quid eis à ſuis, vel alienis commendetur, impletam non recognoſcit. Quid aliquando contulerit Deus Sanctis ſuis in hac vita, non eſt neceſſe, ut referamus: at nemo inficias ibit ex adverſariis noſtris, interdum Dei Amicos prophetico ſpiritu, quo ea, quæ procul ſunt, viderent, fuiſſe donatos, cum & Caiphas peſſimus homo prophetaverit. Si enim Divini muneris lux, etiam hic in tenebris lucet, ut abſcondita revelentur, & quæ ſecreta ſunt maniſeſta fiant, quantò magis hoc erit in gloria? Audiant Apoſtolum clamantem: *Charitas nunquam excidit, ſivè Prophetiæ evacuabuntur, ſivè linguæ ceſſabunt, ſivè ſcientia deſtruetur, cum autem venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte* *Prima ad Corinth. 13.*

eſt : cum eſſem parvulus loquebar ut parvulus , ſapiebam ut parvulus , cogitabam ut parvulus . Quando autem factus ſum vir , evacuavi quæ erant parvuli . Videmus nunc in enigmate , tunc autem facie ad faciem . Nunc cognoſco ex parte : tunc autem cognoſcam, ſicuti cognitus ſum. Apoſtolica admonitio docet nos, futuram in Cœlis cognitionem perfectam , & plenam , & quamvis prophetico ſpiritu donemur , adhuc inter Mundi hujus tenebras commorantes , ſolum ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Sumus veluti parvuli, menſuræ ætati comparati , ac plenitudini cognitionis Beatorum cum Chriſto regnantium . Videmus in enigmate , non facie ad faciem , & tamen ex tantillo luminis prophetici , varietate ſacrorum velaminum circumdati , penetrarunt Sancti Dei ſecreta cordium , quæ longè ſunt prænunciarunt , & viderunt : quid putas quando jam gaudent in Cœleſtibus ? Si parvuli hæc ſciverunt , & cognoverunt , Adulti per gloriæ poſſeſſionem ignorabunt ? Si de micis , quæ ceciderunt de Menſa Domini ſui , mens eorum , quaſi repleta fuit, nunc recumbens ſuper Menſam ejuſdem Domini jejuna erit , aut non ſatiabitur ab ubertate Domus Dei ? Filii Sponſi quandiù cum illis Sponſus eſt jejunabunt, & lugebunt, & ab illis ſublatus, ſeu adhuc per beatificum lumen non donatus , ſaturari poterunt , & gaudere ?

Nec putent me aſſumpſiſſe arguendi genus, myſticis familiare , aut per allegorias , & pias meditationes velim oſtendere , quod Sancti cognoſcant quando illos oramus , & deprecamur , ut intercedant pro nobis apud Patrem Miſericordiæ . Allegoricum , ac Myſticum ſenſum aliquantulum deſeramus , & recurramus ad litteralem Sacrarum Scriptu-

pturarum. In eo enim ſiſtimus, ut demonſtremus munificentiſſimum Dominum plus luminis elargiri Servis ſuis conregnantibus in Cęlis, quam militantibus, & peregrinantibus in Terris. Hoc ſatis innuunt Sacræ Litteræ, hoc abundè indicat Apoſtoli collaudatus textus. Si ergo viator per propheticum lumen, quæ ſuaptè natura penetrare nequiret, intelligit: & Beatus, perfectiori, ac ſanctiori lumine illuſtratus, eadem cognoſcere poterit. Hoc non eſt confugere ad allegoricum ſenſum, vel ad pias meditationes, ſed illud dicendi genus amplecti, quod à Scholaſticis noſtris argumentum à minori ad majus appellatur. Demonſtravit Apoſtolus perfectionem miniſterii Legis novæ ex quadam claritate, quæ apparuit in facie Moyſis, & deducto argumento à minori ad majus, ita concludendi Leges, in non diſſimili materia, nobis præſcripſit: *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere Filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur. Quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Quod Paulus in uno aſſeruit, aſſumimus nos in altero, ut dicamus. Si Miniſtri Domini virtute luminis, quod evacuatur obſcura prænoverunt, quanto magis per amplius, & perfectius lumen permanens, ſcrutari poterunt quæ longè ſunt, & ſecreta videntur, & ut obſcura prædicantur. Hoc argumentum tam efficax viſum fuit Patribus noſtris, ut Auguſtinus non dubitaverit affirmare Eliſeum cognoſcere in Cœlis multa recondita in cordibus noſtris, quia in vita per propheticum lumen cognoverat, quæ Giezi Puer in corde celabat: itâ enim lib. 22. de Civit. Dei cap. 29. argumentatur: *Si ergo in hac vita, ubi hominum mirabilium prophe-*

2. ad Corinth. 3.

tia, ità comparanda eſt illi vitæ, quaſi parvuli ad juvenem: vidit Eliſeus accipientem munera ſervum ſuum, ubi ipſe non erat: ità nec cum venerit quod perfectun eſt, nec jam corpus corruptibile aggravabit Animam, ſed incorruptibile nihil impediet, illi Sancti ad ea, quæ videnda ſunt oculis corporeis, quibus Eliſeus abſens ad ſervum ſuum videndum non indiguit, indigebunt? Nam ſecundum Interpretes ſeptuaginta, iſta ſunt ad Giezi verba Prophetæ. Nonnè cor meum tecum ibat, & novi, quod converſus eſt vir de curru ſuo in obviam tibi, & accepiſti pecuniam? Sicut autem ex hebræo interpretatus eſt Presbyter Hieronymus: nonnè cor tuum, inquit, in præſenti erat quando reverſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui? Corde ſuo ergo ſe dixit hoc vidiſſe Propheta, adjuto, quidem, mirabiliter, nullo dubitante, divinitus. Sed quanto amplius tunc omnes munere iſto abbundabunt, cum Deus erit omnia in omnibus? Acutè Sanctus Doctor ex adjutorio divino uni Eliſeo collato ad videndum, quæ Giezi longè poſitus, in corde recogitabat, & dixit, infert hoc munere abbundare omnes Beatos debere, cum Deus ſit omnia in omnibus illis. Et ſicut cor Eliſei in præſenti erat Giezi Puero dona poſtulanti, ità Sancti præſentes ſunt, hoc eſt, audiunt opem ab ipſis efflagitantes. Nec objectent Auguſtinum in libro de Cura pro Mortuis cap. 16. ità difficilem viſam fuiſſe quæſtionem hanc, ut dixerit: *Res hæc altior eſt, quam ut à me poſſit attingi*. Hæc quidem protulit Auguſtinus, non dubius de ſubſtantia, ſed de modo cognitionis. Credidit ipſe Sanctos audire, & cognoſcere preces noſtras, at modum exprimere, arduum ei apparuit, an ſcilicet in Dei verbo intelligerent, vel per Angelica miniſteria ubique diffuſa, vel per quan-

quandam præſentiam ubi eorum memoriæ ſunt. Hoc dixit excedere vires intelligentiæ ſuæ, & humilis Doctor non erubuit ſcribere, ſe promptum, ſi poſſet, ſciſcitari à quodam Joanne Monacho, qui tempore Theodoſii ſenioris Prophetiæ dono enituit, & cuidam religioſiſſimæ Fœminæ, illum videre cupienti in ſomnis apparuit: *Si illum*, inquit, *Sanctum Monachum ipſe vidiſſem, quia, ſicuti fertur, patientiſſimè interrogabatur, & ſapientiſſimè reſpondebat, quæſiſſem ab eo quod ad iſtam pertinet quæſtionem ..... & de Martyribus ab illo pergerem quærere ..... diſſereret mihi, ut arbitror, hæc omnia, ſicut vellem, ipſe Joannes: ut aut eo docente diſcerem, & ea quæ audirem, vera, & certa eſſe cognoſcerem: aut ego crederem, quæ neſcirem, illo dicente, quæ ſciret*. Cæterum quæſtio non erat, ut diximus, an Sancti ea, quæ ab ipſis orando petimus ſcirent, ſed quomodo ſcirent: ait, enim citato capite: *Quamvis iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat, quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos per eos, certum eſt, adjuvari? Utrum ipſi per ſeipſos adſint uno tempore tam diverſis locis, & tanta, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum memoriæ, ſive præter eorum memorias, ubicumque adeſſe ſentiuntur: an ipſis in loco ſuis meritis congruo, ab omnium Mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentia ſupplicantium, ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint, nec quid agant ſcimus: Deus omnipotens, qui eſt ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus à nobis, exaudiens Martyrum præces per Angelica miniſteria uſquequaque diffuſa, præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in hujus vitæ miſeria judicat eſſe præbenda: & ſuorum merita Martyrum, ubi*

ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximèque per eorum memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam Fidem Chriſti, pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili, ac ineffabili poteſtate, ac bonitate commendet. Res hæc altior eſt, quam ut à me poſsit attingi, & abſtruſior, quam ut à me valeat perſcrutari: & ideò quid horum duorum ſit, an verò fortaſis utrunque ſit, ut aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonam Martyrum, definire non audeo, mallem à ſcientibus iſta perquirere. Neque enim nemo eſt qui hæc ſciat, non qui ſibi ſcire videatur, & neſciat. Dona enim Dei ſunt his alia, & illis alia largientis ſecundum Apoſtolum, qui dicit: unicuique dari manifeſtationem ſpiritus ad utilitatem. Hæc Auguſtinus ſuam ſapientiam manifeſtans cum pietate conjunctam, nec ab humilitate ſeparatam: edocens ſimul ab omnibus credendum eſſe, Sanctos intelligere preces noſtras, & quamvis lateat quomodo hoc fiat, non ideò negandum hoc poſſe fieri. Si in heterodoxis eluceret humilitas Auguſtini, captivarent intellectum in obſequium Fidei, nec ſuperbiæ ſpiritu elati, præſumpſiſſent omnia ſcire, à nemine edoceri, Eccleſiæ Matris Doctrinam rejicere, & Cathedram erroris conſtituere, ex qua cum tot Animarum Chriſti Sanguine redemptarum pernicie, prædicant apud Martyrum Memorias non eſſe orandum. Si dixerint non poſſe facilè explicari, quomodo cognoſcant Sancti petitiones noſtras, adeant Auguſtinum, & addiſcent humilem ſubjectionem ſalubriorem modum eſſe ad pertingendum culmen ſcientiæ Sanctorum, à qua ſæpe excidimus per ſuperbiam noſtram. Doctiſſimus Auguſtinus, quamvis dixerit ſe neſcire modum, non tamen nega-

ga-

gavit. Quomodo enim negari poteſt quod apertè indicant ſacræ litteræ? Nonnè Apocalipſ. 5. habetur: *Quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno habentes ſinguli Citharas, & Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt Orationes Sanctorum, & cantabant canticum novum?* Noverunt, profectò, Seniores à Joanne relati, Orationes, ſi coram Agno pro ſalute Mundi occiſo, repræſentandas cuſtodiebant. Nec ſolitam blaſphemiæ vocem emittant clamantes, Apocalipſim Joannis irreformabilis authoritatis non eſſe; Etenim hoc delirium Lutheranorum, ut tale cognoſcitur, & contemnitur ab ipſis Calviniſtis. Marcionitæ, referente Tertulliano contra Marcionem lib.4. Alogiani, & Theodotiani, teſte Epiphanio hæreſi quinquageſima quarta, acuerunt linguas ſuas contra Apocalipſim Joannis: Cæterum Catholica Eccleſia, uti à Spiritu Sancto dictatum librum, in quo quot verba ſunt, tot ſunt Sacramenta, ſuſcepit. Antiquiſſimi Patres Apocalipſis Joannis mentionem faciunt; Juſtinus, qui eam commentariis illuſtravit: Irenæus lib. 5. Tertull. lib. 4. contra Marcionem: Cyprianus de exortatione Martyrii in pluribus Capitibus: Euſebius lib. 4. cap. 24. & 26., qui plures Patres refert, qui eam, ut divinitus ſcriptam acceperunt: Ambroſius in Pſalm. 40. Auguſtinus Tract. 36. in Joannem: Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum: Innocentius Primus ad Exuperium, & plures alii Eccleſiæ Doctores, quos apud Venerabilem Bellarminum notatos invenies lib. 1. de Verbo Dei cap. 19., ut meritò poſſimus dicere cum Severo Sulpitio lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ: *Liber Sacræ Apocalipſis, aut impiè, aut ſtultè non recipitur*. Cum ergo firmum ſit teſtimonium Apocalipſis, quod Beati in-

Digitized by Google

intelligant preces noſtras, non poterunt Adverſarii, niſi aut impiè negare, aut ſtultè reprobare. Hæc unica Joannis authoritas, crediderim, ſatis eſſet ad veritatem demonſtrandam, niſi ut ſupra monuimus cum Tertulliano, nobis ſermo eſſet adverſum hæreſim Calvinianam, quæ: *Non recipit quaſdam Scripturas, & ſi quas recipit, non recipit integras: adjectionibus, & detractionibus, ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit*; quare, & alios Scripturæ textus oportet adducere, quò aſſerta veritas manifeſtior fiat. Angelos in Cœlis cognoſcere poſtulationes noſtras adeò apertè declarant Scripturæ, ut nequeant, & ipſi heterodoxi denegare. Sepeliebat mortuos Tobias in captivitate poſitus, jejunabat, & orabat: innotuerunt, tamen, hæc omnia Rafaeli Archangelo, ut habetur Tobiæ 12. *Manifeſto ergo vobis veritatem, & non abſcondam à vobis occultum ſermonem. Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino*. Rurſus Apocalipſis octavo: *Alius Angelus venit, & ſtetit ante Altare habens turibulum aureum, & data ſunt ei incenſa multa, ut daret de Orationibus Sanctorum omnium ſuper Altare aureum, quod eſt ante Thronum Dei: & aſcendit fumus incenſorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*. Angelici, itaque, ſpiritus, non ignorant, quando apud Dominum eos Interceſſores adhibemus. Ex hoc principio per Scripturas revelato, Sanctos intelligere preces noſtras manifeſtè deducitur. Etenim per eandem Scripturam, Juſtos ad Angelorum Beatitudinem aſſumi admonemur: *Erunt ſicuti Angeli Dei in Cælo*, inquit Redemptor noſter Matth.

Vide Præfat. ad Lectorem Catholic.

Matth. 22. *Neque enim*, ut habetut Lucæ 20. *ultra mori poterunt*. Equales enim Angelis ſunt, & Filii ſunt Dei, cum ſint Filii Reſurrectionis. Iterumque Apocalipſis 2. *Menſus eſt murum ejus centum quadragintaquatuor cubitorum menſura hominis, quæ eſt Angeli*. Si ergo eadem menſura oſtenditur, æqualitas prædicatur, & ſimilitudo affirmatur: oportet, ut fateamur, quod ſicut Angeli à Deo per verbum ejus diſcunt petitiones noſtras, & quid de his implendum ſit, vel non: ita, & Animæ Sanctorum, faciem Dei contemplantes, in ejus veritate intelligent preces hominum, & quæ exaudiendæ ſint, vel non, quia in illa æterna hæreditate, ut loquitur Gregorius, omnes communi claritate Deum conſpiciunt: quid eſt quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia, ſciunt? In illa faciali viſione contemplantur ſpeculum illud ſine macula Verbum Dei, & Angeli, & homines, utrique in Dei Majeſtate rapiuntur, & gaudent. Non quod in illa Cœlitum Regione manſiones multæ non ſint: alia enim claritas Solis, alia Lunæ, & Stella differt à Stella in claritate: ſed cum omnes, ut diximus, communi charitate Deum conſpiciant, etiam quæ ad ſuæ Beatitudinis complementum ſpectant, intuentur. Hæc menſura hominis, quæ eſt Angeli in Apocalipſi indicata: hæc ſimilitudo eſt, quam Angelos inter, & homines, Chriſtus in Cœlis prænunciavit futuram. *Lib. 4. Dialog.*

Satis mirari non poſſum petulantiam Chriſtiani Rodingi, qui contra Scholas Jeſuitarum Deiparam Virginem ſic loquentem inducit: *Deſine me ſalutare, & ſalutando venerari: deſine Sanctos è vita defunctos adorare ..... tu ubi terrarum ſis, quid agas, denique, an mortuus ſis, neque ſcimus, neque curamus, tantum abeſt, ut te precantem exaudiamus.*

Conqueruntur heterodoxi, ſi aliquid in ſcriptis Catholicorum perlegerint, vel tantillum à manſuetudine recedens. Veruntamen quis poterit juſtam indignationis cauſam, ſimilem in Virginem audiens blaſphemiam, continere, & non potius illud uſurpare: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, nè ſibi ſapiens eſſe videatur?* Bernardus, qui de Virgine protulit: *Ille taceat tuas laudes, qui te invocans ſenſerit ſe eſſe deceptum*: quamvis mellifluus dicatur, puto quod intelligens, quæ abſque ullo pudore à Rodingo proferuntur, felle amaritudinis calamum impleret. Adeonè Regina Mundi oblita ſuorum dicitur, ut neſciat quid agatur, non curat placatum reddere Jeſum Filium ſuum Dominum noſtrum? Unde hoc novit Rodingus? Fortaſſis ex verbo Dei ſcripto, aut ex unanimi Sanctorum Patrum ſenſu, aut auriculam ejus Virgo puriſſima adaperuit? Omnium ætatum Patres, tam Græci, quam Latini, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, Mariam venerantur, & colunt, poſtulando ejus Patrocinium, ut apud Deum miſericordiam invenire poſſimus: unus Rodingus ore putido audet exclamare: *Noli me ſalutare, & ſalutando venerari!* Gabriel, ex ſupremis Spiritibus, à Deo miſſus ad Virginem, reverenter dicit: *Ave Maria Gratia plena Dominus tecum*. Nunc vilis homuncio diabolica plenus nequitia Angelicam Salutationem audet prohibere: *Soli Mariæ*, inquit Origenes, *hæc ſalutatio ſervabatur*. *Si enim ſciſset Maria, & ad alium quempiam ſimilem factum eſſe ſermonem (habebat, quippè Legis ſcientiam, & erat Sancta, & Prophetarum Vaticinia quotidiana meditatione cognoverat) nunquam, quaſi peregrina, eam ſalutatio terruiſſet.* Cognovit Maria adhuc Puella Prophetarum Vaticinia, nunc ſuper Choros Ange-

Proverb. 26.

Luca 2.

Origen. hom. 6. in Lucam.

gelorum exaltata tanquam Domina, & Regina, fingitur ignorare quid peragatur in terris, nec curare preces noſtras, quaſi in ſtatu feliciori, deterioris conditionis evaſerit, & quod Deus Angelis conceſſit, Matri denegaverit.

Quam ſpatioſus pateret aditus enarrandi laudes, Virgini Matri à Patribus noſtris meritò attributas; Sed in peculiari Opuſculo, ſi vita comes fuerit, de his loqui opportunum redibit tempus: nunc ſub brevitate ex eiſdem Patribus demonſtremus; miſeris opem ferre, & apud Thronum Clementiæ Divinæ, pro nobis intercedere, atque cognoſcere quidquid à Deo, ipſa adjuvante, expectamus: *Ave Gratia plena*, ait Neocæſarienſis Gregorius, *Dominus tecum, tu enim verè es, ut aveas, gaudeaſque, quod tecum Divina Gratia, uti novit habitaculum, elegit. Cum Ancilla Rex Gloriæ, cum ſpecioſa ſpecioſus forma præ Filiis hominum, cum impolluta qui ſanctificat univerſa. Tecum, ac ex te Deus, homoque perfectus. Ave Gratia plena, Fons lucis, quæ illuminat omnes Credentes in ipſam. Ave Gratia plena, ſpiritualis Solis Oriens, & Flos vitæ immaculatus.* *Homil. 1. de Annunciat. Virginis.*

Debito præconio Protectricem noſtram in Cœlis regnantem Beatam Virginem, Sanctus Ephrem Syrus nobis commendavit, illam honorificis titulis exornando, atque hunc in modum invocando: O *Sancta Dei Genitrix, ſub alis Pietatis, ac Miſericordiæ tuæ protege, & cuſtodi nos; Miſerere nobis, qui ſordibus peccatorum conſpurcati ſumus, qui ſceleribus, atque delictis quamplurimis Creatorem Deum noſtrum, & Judicem univerſorum offendimus ...... non nobis eſt alia, quam in te fiducia. Ex ulnis ſiquidem maternis tibi dediti ſumus, Domina noſtra, tuique Clientes appellati, nè igitur à maligno Satana ad* *Serm. de Landib. Mariæ.*

Inferni portas abduci nos ſinas. Tu enim noſter es Portus, ò Virgo intemerata, ò pia Auxiliatrix. Sub tua tutela, & protectione toti ſumus: quare ad te unicam confugimus, ſuppliciter clamantes, & deprecantes, nè dulcis Filius tuus Salvator noſter, & Vitæ omnium dator, ob plurima, quæ commiſimus ſcelera, è medio tollat nos, miſerabileſque Animas noſtras inſtar leonis diripiat, aut ſicut ficum ſterilem nos excidat. Obſecramus, ut ad Chriſtum ſecuri pervenire poſſimus, aulaſque illas Beatorum ſubire, ubi non ſunt lacrymæ, neque luctus, non vexatio, non moleſtia, non mors, non cruciatus, non locorum anguſtiæ, ſed lætitia inexhauſta, voluptas Juſtorum maxima, deliciæ infinitæ, gloria, & ſplendor. Omitto aliam, quam habuit ad Sanctam Dei Genitricem Orationem, in qua illius implorat auxilium in ultimo vitæ agone, deprecans, ut per ipſam truces peſſimorum Dæmonum aſpectus pellantur, atque hæres inacceſſæ Gloriæ Dei inſtituatur: *Quod*, inquit, *utinam per ipſam interceſſionem tuam, atque Patrocinium, Domina mea Sanctiſſima Dei Mater, mihi, & omnibus humiliter ad te recurrentibus, & ſpem totam in te figentibus, poſt hoc exilium concedatur, gratia, miſeratione, & benignitate Unigeniti tui Filii Domini Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Conſulat hæreticus Tertullianum lib. de Carne Chriſti cap. 17. Irenæum lib. 3. cap. 33., & lib. 5. cap. 19. ibique releget excellentiam Virginis Deiparæ, pietatem illius erga humanum genus, & quomodo ſit cauſa ſalutis noſtræ. Adeat S. Epiphanium hæreſi 79., ut addiſcat idem crimen omninò eſſe, Virginem Deo æquare, ſicuti Collydriani auſi fuerunt, ac illius dignitatem deprimere clamando, quod nihil intelligat de nobis, qui commoramur in Mundo,
nihil

Digitized by Google

nihil curet, non audiat, nec exaudiat preces miſerorum ad illam confugientium, uti Rodingus, & qui illum ſequuntur hæretici, blaſphemant. Olim negaſſe nonnullos Dei Providentiam, perhibet Scriptura: *Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines Cœli perambulat*. Similes illis redduntur Novatores Virginem deſcribentes Dei deliciis abſorptam, noſtra non reſpicientem: & tamen ex Bernardo novimus, Deiparæ à Deo demandatum, ut Chariſmatum dona per ipſam ad nos deſcendant. *Totis, ergo*, inquit, *medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur, quia ſic eſt voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam ..... nec dubius dixerim exaudietur, & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ*. Et in alio Sermone, Eccleſiam provolutam pedibus Mariæ repræſentat, tanquam ad Mediatricem, ut impetret lumen Gratiæ, & Gloriæ: *Jam te Mater Miſericordiæ, per illum ſinceriſſimum tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus Luna, Mediatricem ſibi apud Solem Juſtitiæ conſtitutam, devotis ſupplicationibus, interpellat, ut in lumine tuo videat lumen, & Solis gratiam tuo mereatur obtentu, quam verè amavit præ omnibus, & ornavit*. Non erubuit Auguſtinus appellare Virginem, Matrem omnium Chriſtianorum: *Maria*, inquit, *faciens voluntatem Dei, corporaliter tantummodo Mater eſt, ſpiritualiter autem, & Soror, & Mater. Ac per hoc una illa Fœmina, non ſolum ſpiritu, verum etiam corpore, & Mater eſt, & Virgo. Et Mater quidem ſpiritu, non Capitis noſtri, quod eſt ipſe Salvator, ex quo illa*

Job 22. 14.

Bernardus Serm. de Nativit. Virgin.

Idem Serm. de Aſſumpt.

Auguſt. lib. de Virginit. cap. 6.

illa ſpiritualiter nata eſt, quia omnes, qui in eum crediderint, in quibus, & ipſe eſt, rectè Filii Sponſi appellantur. Sed planè Mater membrorum ejus, quod nos ſumus, quia cooperata eſt Charitate, ut Fideles in Eccleſia naſcerentur, qui illius Capitis membra ſunt: Corpore verò Mater ipſius Capitis. Quapropter idem Sanctus Doctor, non dubitavit ejus Patrocinium implorare inquiens: *Admitte preces noſtras intra Sacrarium exauditionis, reporta, reporta nobis antidotum reconciliationis...... quia tu es ſpes unica Peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te, Beatiſſima, noſtrorum eſt expectatio præmiorum.*

Si ergo ex Patribus noſtris talia proferuntur de Virgine, quomodo componi poterunt, quæ à Chriſtiano Rodingo, & Dallæo lib. 3. de religioſi Cultus objecto cap. 17. 18. impudentiſſimè dicuntur? Si totum voluit Deus nos habere per Mariam, neceſſe eſt, ut intercedat pro nobis, ut habeamus. Si Mater eſt, oblivifci non poterit Filiorum. Si Eccleſia provoluta pedibus Mariæ dicitur, ut devotis ſupplicationibus apud Solem Juſtitiæ, Mediatricis ſentiat effectum, cur deſerendus Eccleſiæ ſenſus, ut amplectamur unius, vel alterius hominis deliramenta? *Ego*, dicebat Bernardus, *quod ab Eccleſia accepi, ſecurus, & teneo, & trado.* Quod conantur oſtendere Moderni Luthero Calviniani, nec ex Eccleſia eſt, nec ex Patribus Eccleſiæ, quis unquam audebit ſecurè tenere, & tradere? Cæterum quæ hucuſque ſcripſimus de Deipara Virgine, ex antiquiſſimis Patribus, & ex Eccleſia Matre deſumpſimus: hoc ergo certum, hoc amplectendum, hoc omnibus tradendum. Si vellent Calviniani unius hominis, qui ſub clientela Virginis commoratur, con-

Bernard. Epiſt. 144.

conſilium accipere, illis ſuaderem, ut ad Deiparam confugerent, & ſicuti ex Hieronymo Vigilantius Martyrum Baſilicas ingrediendo, remedium contra ſpiritum blaſphemiæ ſenſiſſet: ita recurrendo ad Virginem, errores iſti deponerent: *Nihil enim*, inquit Petrus Damiani, *tibi impoſſibile* (ſcilicet Virgini) *cui poſſibile eſt deſperatos in ſpem Beatitudinis relevare. Quomodo enim illa Poteſtas tuæ Potentiæ poterit obviare, quæ de Carne tua Carnis ſuſcepit originem. Accedis enim ante illud aureum Reconciliationis humanæ Altare, non ſolum rogans, ſed imperans, Domina non Ancilla*. Vel ut ante jam ſcripſerat Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Oratione de Dormitione Deiparæ: *Tu verò maternam vim apud Deum obtinens iis, qui ſupra modum peccant, ſupra modum veniam conficis, non enim fieri poteſt, ut non exaudiaris, quoniam tibi ad omnia, & per omnia, & in omnibus Deus, tanquam veræ, & immaculatæ Matri, obedit*. Dulcius Bernardus: *O quiſquis te intelligis in hujus ſæculi profluvio, magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quam per terram ambulare, nè avertas oculos à fulgore hujus ſyderis, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgunt venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum: reſpice Stellam, voca Mariam. Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis: reſpice Stellam, voca Mariam. Si avaritia, aut iracundia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, Judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abiſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis: Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat à corde, & ut im-*

Serm. 1. de Nativit. Virg.

Bernard. Homil. 11. ſupra Miſſus eſt.

impetres ejus Orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum.

Utinam ergo confugerent ad Virginem, & noviſſima ſibi providerent: intelligerent planè quam validum ſit ejus Patrocinium, quam prona pientiſſima Domina ad impetrandam veniam. Inter delicias Paradiſi viderent illam non oblitam miſeriarum habitantium in tenebris, & umbra mortis. In ſemetipſis experirentur audire, & exaudire preces, ſupplicationeſque precantium: optimè ſcire ubi ſumus, an in terra viventium, an morientium: non negligere nos, ſed curare, ut reconciliationis gratiam obtineamus per Jeſum Filium ſuum Redemptorem omnium. Profectò retractarent hæretici illas execrabiles voces: *Deſine me ſalutare, & ſalutando venerari*; imò nunquam ceſſarent à laudibus, nunquam ab invocatione deſiſterent. Sed cum per Cœleſtem hanc ſcalam, per quam homo, qui proſtratus jacebat, ad ſuperna fuit exaltatus, aſcendere detrectent hæretici: quid mirum, ſi in errore permaneant, nunquam ad notitiam veritatis pervenientes? Scio Dallæum dixiſſe ſuperius adductas authoritates ex Damiano, & Germano nimium extollere merita Virginis, quippè indicant illam Deo imperare. Sed firmitatem ſolum oſtendunt Patrocinii, efficaciam demonſtrant Orationis, certam, ac ſingularem fiduciam Virginis, obtinendi à Filio quidquid pro nobis digniſſima Mater poſtulaverit. Noverunt laudati Patres imperium, ſi ſtrictè ſumatur, exerceri erga ſubjectos, & inferiores, omnem Creaturam ſubditam debere eſſe ſuo Creatori, Regiam Virginem non indigere falſo honore: attamen, ut nobis notum facerent quam promptus ſit Deus Matris vota exaudire, imperii nomen adhibue-

Digitized by Google

buerunt. Nec alienam à Scripturis phraſim ſumpſerunt: etenim quando, Joſue orante, Sol, & Luna ſteterunt, Sacra Scriptura dicit: *Obediente Deo voci hominum*: fortaſſis vox illa obedire, denotat ſuperioritatem Joſue ad rerum omnium Conditorem Deum? Quis erit adeò inſipiens ut affirmet? Negare tamen non poterit opponens, quod obedire, propriè eſt reſpicere Superiorem, ut Superiorem: ſed ut oſtenderet Scriptura, quam dives ſit Deus in miſericordia, vota ſervorum ſuorum exaudiendo, mirabilem illam Solis ſtationem, eſpreſſit per illa verba: *Obediente Deo voci hominum*. Itaque: ſicuti obedire in facto Joſue, non eſt indicativum ſubjectionis Dei ad hominem, ita imperare, quod tribuitur à Patribus Virgini, non eſt declarativum ſuperioritatis Deiparæ ad Deum, ſed utrumque explicat, quod cecinit Regius Pſaltes: *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet*. *Pſal. 144.19.* Patres ſic Virginem exaltantes inter Collyridianos adnumerare, ſola Dallæi petulantia potuit. Collyridiani placentam Mariæ tanquam Deæ offerebant; Recenſiti Patres, quamvis catholicè Mariam Domini Matrem recognoſcerent, nunquam Creaturam eſſe negaverunt, nunquam illi ſacrificandum eſſe affirmarunt. Dignis quidem præconiis illam collaudarunt, honorantes infra Deum illo Cultu, qui excellentiſſimæ Creaturæ debetur. Multum quidem poſſe apud Deum, per Gratiam ab eodem Deo illi donatam, prædicarunt: cognoſcere, & exaudire preces noſtras dixerunt, & pro nobis orare. Probent nunc moderni Hæretici per Scripturas prohiberi honorare Matrem Domini, illam invocare; Oſtendant, Chriſtianæ pietatis officia, quæ erga Puriſſimam Virginem exercemus, mala eſſe, ideoque vi-

vitanda; Per idem verbum Dei ſcriptum demonſtrent Virginem in Cœlis regnantem, nihil omninò ſcire de nobis, nec curare. At cum certiſſimè hoc nequeant præſtare, acquieſcant Patribus noſtris. Et quamvis in ſacris Litteris nihil expreſsè haberetur de invocatione Sanctorum, de eorum pro nobis interceſſione apud Deum, adhuc detrahere non deberent prædictæ invocationi, quia juxta Auguſtini regulam: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi authoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Accedit quod dixit Tertullianus: *Id eſſe Dominicum, & verum, quod ſit prius traditum: id autem extraneum, & falſum quod ſit poſterius immiſſum. Ea ſententia manebit adverſus poſteriores quaſque hæreſes, quibus nulla conſtantia de conſcientia competit ad defendendam ſibi veritatem.* Poſterioritatem doctrinæ ſuæ habent hæretici, ſecuritatem ergo poſſident erroris. Luthero-calviniſtæ quando inceperunt novimus, quando in Mundo apparuerunt, ſcimus. Viguit ſemper in Catholica, & Apoſtolica Eccleſia invocatio Virginis, & aliorum Sanctorum tanquam aliquid pium, utile, & religioſum. Deiparam audire, & exaudire voces, preceſque ſupplicum, tanquam verum fuit ſemper cuſtoditum. Qui ergo oppoſitum prædicant, cum novi ſint, & Novatores juſtè appellentur: illos Tertulliani ſententia perſtringo: *Probent ſe novos Apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe, iterum crucifixum, iterum mortuum, iterum reſuſcitatum: Sic enim Apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem, eadem ſigna ædendi, quæ, & ipſe. Volo igitur, & virtutes eorum proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum*

De Præſcrip. cap. 31.

De Præſcrip. cap. 30.

Digitized by Google

ſum æmulantur. Illi enim de mortuis vivos faciebant, iſti de vivis mortuos faciunt. Signa ergò Apoſtolatus cum non habeant, ceſſent Virginis merita adeò deprimere, ut quod Scriptura non renuit concedere Animabus Impiorum, hoc Sanctis, & quæ ſuper Cœli Cives exaltata meritò ab Eccleſia dicitur, Angelorum denegent Reginæ. Torquebatur in gehennalibus flammis, qui induebatur, dum viveret, purpura, & biſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, & tamen de illo Scriptura teſtatur: *Mortuus eſt autem dives, & ſepultus eſt in Inferno: Elevans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu ejus.* En quod damnati ad augumentum tormentorum ſuorum vident quos in vita contempſerunt: quare ergo Beati ad Gloriæ incrementum non videbunt, qui inter Mundi ærumnas ad illos recurrunt, ut aliquod ſolamen recipiant? Miſericors, & Juſtus Dominus, quod uni dat ad pœnam, alteri concedit ad Gloriam. Levita Stephanus in terris poſitus vidit Cœlos apertos, & Filium Hominis ſtantem à dextris virtutis Dei: quid vetat, nè in Cœlis gaudens, videat peregrinantes in terris? Omitto plures Sanctorum apparitiones, quæ à Majoribus noſtris referuntur, quibus abundè probatur in Regno æternæ Beatitudinis, innoteſcere Juſtis, quando illos apud Deum Interceſſores adhibemus. Nec audiendus Lutherus, qui in explicatione Evangelii de divite, & Lazaro inquit: *Nullius unquam Anima ab Orbe condito apparuit, neque enim Deus illud permittit.* Ad confundendam hanc vocem ſufficit, quod ſcripſit Athanaſius in Vita Sancti Antonii: *Alio tempore, ait, cum ſederet in Monte, vidit, neſcio quam Animam, lætantibus in ejus occurſum Angelis,*

Lucæ 16.

ad Cælum pergere: *& ſtatim vox ad eum facta eſt, inquiens, iſtam eſſe Ammonis Monachi Animam, qui Nitriæ morabatur*. De Sancto Mamante dicit Baſilius Magnus: *Memores eſtote Martyris, quot quot illo per ſomnia potiti eſtis, quot quot in hoc loco conſtituti, adjutorem ipſum ad precandum habuiſtis*. Perlegat Lutherus Euſebium Cæſarienſem lib.6. cap. 4. Eccleſiasticæ Hiſtoriæ, ubi Baſilidis Martyrium intelliget, ob mirabilem Potamienæ Virginis apparitionem, quæ Coronam capiti Baſilidis impoſuit, aſſeruitque ſe pro eo gratiam à Domino poſtulaſſe, poſtulatam obtinuiſſe. Adverſus Julianum Apoſtatam clamat Nanzianzenus Gregorius: Sanctis honores inſtitutos eſſe, à quibus Dæmones pelluntur, & morbi curantur, quorum ſunt apparitiones, & prædictiones. Gregorius Nyſſenus refert cap. 7. de Sancto Gregorio Taumathurgo: non prius auſum fuiſſe accedere ad Verbi Dei prædicationem, quam per quandam viſionem fuiſſet ſibi revelata veritas, & demum Deiparæ, ac Joannis Evangeliſtæ apparitione dignatum, Fidei formulam edidiſſe.

Libuit conſulere Græcos Hiſtoricos, ac Latinos, & inopem me copia fecit, multitudo oppreſſit, ut me tædeat enarrare, vel ex plurimis pauca. Attamen Irenem Virginem, Sancti Spiridionis Filiam apparuiſſe, & ſibi in vita commendatum depoſitum, Patri revelaſſe, teſtis eſt Socrates lib. 1. cap. 8. Pulcheriæ Auguſtæ admirandum Thyrſum, & cum eo quadraginta Martyres, militaribus veſtimentis candidis indutos, ſemetipſos conſpicuos feciſſe, ſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 28. Aphris maximo dolore percuſſis Cyprianum apparuiſſe, ac bono eſſe animo hujus rei gratia juſſiſſe, ſe ſe brevi tempore ultorem futurum pollicendo, refert Procopius Cæſarien-

ſarienſis de bello Vandalico cap. 20. Qui plura deſiderat ex authoribus Græcis perlegat Theodoretum Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 5. cap. 6., & cap. 24. Theodorum Lectorem lib. 2. Evagrium lib. 2. cap. 3. de S. Euphemia. Georgium Presbyterum in Vita Theodori Archimandritæ. Leontium Cyprium in Vita Symonis Sali cap. 31. Eliam Cretenſem oratione tertia. Conſtantium Thyrium oratione de Inventione Sanctæ Euphemiæ cap. 6. Leonem Imperatorem oratione Encomiaſtica in Joannem Chryſoſtomum; Joannem Zonaram tom. 3. annalium de Conſtantino Imperatore. Georgium Cedrenum in Theodoſio. Michaelem Glicam part. 4. annalium. Nicephorum Calliſtum lib. 6. cap. 7., & libro 13. cap. 37. His omnibus accedat authoritas Patrum Nicænorum ſecundæ Synodi actione quarta: *Lecta eſt Epiſtola Nili ad Heliodorum de Platone Martyre, qui apparens, ex Imagine agnoſcebatur; Sancta Synodus dixit: Demonſtratum eſt quomodo per præcognitam Imaginem Martyris, ipſum adeò Martyrem præſentem cognovit, cum liberaretur.* Ex Latinis verò Authoribus conſulendus eſt Severus Sulpitius Dialogo ſecundo cap. 14. Paulus Oroſius lib. 7. cap. 36. Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francor. lib. 2. cap. 6. Beda Hiſtor. Anglican. lib. 2. cap. 6. Paulus Diaconus de Geſtis Langobardorum lib. 4. cap. 5. Joannes Diaconus lib. 4. cap. 94. Vitæ Sancti Gregorii. Regino Prumienſis lib. 2. Annalium ad annum 862. Luitprandus Ticinenſis lib. 2. cap. 14. Petrus Damiani Sermon. de Translatione Sancti Hilarii Epiſcopi. Anſelmus Cantuarienſis in Elucidario. Rupertus Tuitienſis cap. 13. Vitæ Sancti Hereberti. Bernardus in Vita S. Malachiæ. Petrus Cluniacenſis lib. 1. de Miraculis cap. 27. Sed præterire non poſ-

Digitized by Google

poſſum S. Ambroſium, mirabilem viſionem Virginis, ac Martyris Agnetis, eleganti calamo deſcribentem: *Dum Parentes*, inquit, *Beatæ Agnetis aſſiduis pernoctationibus vigilarent ad tumulum ejus, vident in medio noctis ſilentio exercitum Virginum, quæ omnes aureo textis Cycladibus indutæ cum ingenti lumine præteribant, inter quas vident Beatiſſimam Agnetem ſimili veſte fulgentem, & ad dexteram ejus Agnum nive candidiorem. Hæc itaque cum viderent Parentes ejus, & qui ſimul erant, ſtuporem mentis incurrunt, ſed Beata Agnes rogat Sanctas Virgines parumper gradum figere, & ſtans, Parentibus ſuis dixit: Videte nè me quaſi mortuam lugeatis, ſed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas ſedes accepi, & illi ſum juncta in Cælis, quem in Terris tota animi intentione dilexi, & his dictis pertranſiit. Hæc viſio publicè ab omnibus, qui viderant quotidiè vulgabatur, undè factum eſt, ut poſt aliquos annos ad Conſtantiam Conſtantini Filiam hoc factum ab his, qui viderant, narraretur. Erat, enim, ipſa Conſtantia Regina Virgo prudentiſſima, ſed ita obſeſſa vulneribus, ut à capite, uſque ad pedes nulla membrorum pars libera remanſiſſet. Accepto autem conſilio, ſpe recuperandæ ſalutis, venit ad tumulum Martyris nocte, & licet pagana, tamen credula animi intentione, preces fideliter fundebat. Quod cum faceret, repentina ſomni ſuavitate corripitur, & vidit per viſum Beatiſſimam Agnetem talia ſibi monita præferentem: Conſtanter age Conſtantia, & crede Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei eſſe Salvatorem tuum, per quem modo conſequeris, omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, ſanitatem. Ad hanc vocem Conſtantia evigilat ſana, & ſic ſana, ut nec ſignum in ejus membris alicujus vulneris remaneret.*

Tanti

Digitized by Google

Tanti fecit Eccleſia hanc viſionem, ut quotannis ſtatuta die 28. Januarii ejus celebret memoriam. Sileat itaque qui auſus eſt dicere: *Nullius unquam Animam ab Orbe condito apparuiſſe, quia Deus non permittit*. Omnes Eccleſiæ Patres, tam Græcos, quam Latinos fuiſſe deceptos, cogeremur aſſerere, quod aures Catholicorum horrent audire: Selectiores Hiſtoricos Sacros, nobis ſolum mendacia retuliſſe, quod nullus prudens, ac ſapiens judicabit. Sed permittamus, ac fingamus parumper communem totius Orbis Catholici illuſionem, quam impoſſibilem nobis demonſtrant Sacræ Paginæ; Edoceat nos Lutherus, & qui illum ſequuntur, undè ex verbo Dei ſcripto habeatur, quod nulla unquam Anima ab Orbe condito apparuerit. Si fortaſſis, quia diviti illi, qui torquebatur in igne ineſtinguibili non fuit conceſſum, ut mitteretur Lazarus ad annunciandum Fratribus, nè venirent in locum tormentorum: ineptè arguitur inferendo, quod uni non fuit conceſſum, omnibus fuiſſe denegatum. Quando una communis ratio urget, ut beneficium uni donatum, ad alios non transferatur, aptè arguimus à particulari ad univerſale. Sed quæ conventio una communis poterit eſſe inter reprobos, & Electos, inter Sanctos, qui gaudent in Cœlis, & damnatos, qui torquentur in igne, ut ſtatuamus, Deum denegare cuicumque Beatorum Animæ, inter nos, & nobis aliquando apparere, quia uni ex reprobis non fuit conceſſum? Meminiſſe debuerant heterodoxi, quod idem Evangeliſta, qui dixit, divitem illum ſepultum in Inferno, non fuiſſe exauditum ab Abraham, retuliſſe: *Et factu* *Lucæ 9. 29.* *eſt, dum oraret, ſpecies vultus ejus altera, & veſtitus* *30. 31.* *ejus albus, & refulgens: & ecce duo viri loquebantur*

tur cum illo. Erant autem Moyſes, & Elias, viſi in Majeſtate, & dicebant exceſſum ejus, quem completurus erat in Jeruſalem. Et alter Evangeliſta acerbiſſimam Paſſionem Redemptoris noſtri Jeſu deſcribens ait: *Et ecce Velum Templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, & exeuntes de monumentis poſt Reſurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, &* APPARUERUNT MULTIS. Vide ergo, Evangeliſtis narrantibus, aliquando Sanctorum Animas apparuiſſe. Sed heù nimium deflebilem hæreticorum conditionem, qui cum ſemel veritatis ſemitam deſeruerint, inſanias falſas, mendacia aperta complectuntur. Ut Sanctòrum detraherent apparitionibus, prò nihilo duxerunt, univerſum Sanctorum Patrum cœtum rejicere, Sacris Hiſtoriis illudere, & poſt tam apertos Evangelicos textus, clamare non erubuerunt: nullam ab Orbe condito uſque modo Animam apparuiſſe, quia Deus non permittit. Quid ergo excogitavit Petrus Tabernaculum conſtruere Moyſi, & Eliæ? Quid refert Scriptura Homines iſtos in Majeſtate viſos, ſi ſpectra tantum erant? Sancti itaque, qui dormierant, & reſurgente Domino, pariter ſurrexerunt, & venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis, nil, niſi phantaſma fuiſſent, & tales ſuæ Reſurrectionis teſtes Dominum adhibuiſſe affirmabitis? *Credendum, quippe eſt,* inquit Remigius, *quoniam ſurrexerunt, ut teſtes eſſent Dominicæ Reſurrectionis.* Abſit excogitare, ut prima Veritas voluerit decipere nos per ſpectra, per illuſiones, & falſas apparitiones.

Matth. 27. 51. 52. 53.

Remigius in Catena aurea.

Sed jam tempus eſt, ut revertamur ad perſcru-

ſcrutandum ea, quæ nobis reponebant hæretici ad oſtendendum, ſi poſſent, noſtras Sanctos non audire preces. Inculcant, quod ſcriptum eſt: *Mortui nihil noverunt amplius*. Verumtamen, ſi totus integer textus perlegatur, nihil eſt, quod veritati adverſetur. Suadet enim ibi Eccleſiaſtes, ut in hac vita inſtanter operemur bonum ad accipiendam operum retributionem, quia in ſtatu ſeparationis, Anima non operabitur ad meritum, quare viventes multa ſciunt utiliter ad meritum: mortui verò nihil noverunt amplius ad meritum, licet multa Juſti cognoſcant feliciter ad præmium. Genuinus Scripturæ ſenſus apparet, quia dicitur: *Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*. Et poſt pauca ſubdit: *Quodcumque facere poteſt manus tua inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud Inferos, quò tu properas*. Itaque cum unuſquiſque noſtrum properet ad domum æternitatis ſuæ: omnes enim ſicut aquæ dilabimur, quæ non revertuntur: admonemur ſub incerta, ac brevi vitæ noſtræ periodo, bonum operari. Viventes ſcimus nos eſſe morituros, & hæc notitia, ni contemnatur, valdè utilis eſt, nè illicita perpetremus: ſed mortui nihil noverunt amplius, cum de cœtero nulla confeſſio, nulla laus, nullum opus, nulla pœnitentia eis prodeſſe poſſit. Viventes, quamvis peccatis coinquinati, reconciliationis gratiam queunt obtinere, & recurrendo ad lamenta pœnitentiæ, iterum inter Filios adnumerari, & æternam Beatitudinem ſperare, & ſperando expectare. At mortui de hoc nihil noverunt amplius: aut enim Juſti ſunt, & cum Deo regnant, & eorum opera, quæ in vita geſſerunt, mercedem receperunt:

Eccleſiaſtes 9.

Digitized by Google

runt: at impii ſunt, & torquentur in gehenna, & nec opus, nec ſapientia quidquam valere poterunt à locis pœnarum ad illos extrahendos: aut demum, ſi qui ſint Electorum, igne adhuc purgandi, in ſtatu ſunt ſatispatiendi, non promerendi. Dum currimus in hac vita, inveniri poteſt in operibus noſtris meritum, at cum terminum attigerimus, ceſſat meritum, nec mortui habent mercedem, ſicut in opere, quod ſub Sole geritur; Hanc veritatem voluit Scriptura nobis manifeſtam facere, nè deſides in citiſſimo annorum curriculo ad benè operandum, inveniamur: futurum eſt enim tempus, quando tempus operandi non erit amplius. Clamavit, equidem,
Eſaias 63.16. Eſaias: *Abraham neſcivit nos, & Iſrael ignoravit nos: tu Domine Pater noſter, & Redemptor noſter.* Sed nec per laudatum textum aliquid imminuitur de illa cognitione, quam tribuimus Beatis, ut videant, & audiant nos orantes; Etenim Evangelicus Vates deſiderabat adventum Domini ad redemptionem generis noſtri: hoc opus, nec per Abraham, nec per Iſrael, aut per Moyſem perfici poterat, unde ponit miſerendi cauſam, inquiens: Tu Domine Pater noſter, & Redemptor noſter, Abraham autem neſcivit nos, quia eripere, & liberare nos non valet ab iniquitatibus noſtris. Fraſis conſueta Scripturarum eſt, ut illud neſciri dicatur, quod reprobatur: hinc fatuis Virginibus fuit reſponſum: Neſcio vos, ideſt improbo vos, reprobo vos, neſcit faciendo, judicat arguendo, ut explicat Auguſtinus. Itaque Propheta clamat ad Dominum, quia copioſa apud Deum redemptio, non apud Abraham, aut Iſrael, qui licet neſcirent, ideſt non approbarent, & rejicerent, ſecundum interpretationem Hieronymi, mala opera Judaici Populi: attamen

men emendare, & à jugo peccatorum, & diabolica ſervitute liberare, illius erat, qui demum miſſus fuit ad oves, quæ perierant ex Iſrael: hinc idem Propheta initio Capitis ſubſequentis, aperit vota ſua inquiens: *Utinam dirumperes Cœlos, & deſcenderes, à facie tua montes defluerent, ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes turbarentur*. Si quibuſdam magis arriſerit, textum Eſaiæ intelligendum eſſe, ut exponit Angelicus Doctor, quantum ad virtutem cognitionis humanæ, non quantum ad irradiationem Divini luminis, quia nec Abraham, nec Iſrael poterant naturali virtute cognoſcere ſtatum viventium, niſi deſuper illis datum fuiſſet: ſi hæc, inquam, interpretatio magis placuerit, illam amplectatur: non enim aliquid Veritati contrarium redolet, noſque illam tanto Magiſtro dignam veneramur: fuſius de ea loquemur inferius cum Auguſtino. Interim ſciant heterodoxi maximum eſſe diſcrimen inter Patres noſtros in ſinu Abrahæ commorantes in Lymbo, & Beatos in Cœleſti Patria Deo fruentes. In Lymbo, quàmvis non eſſent in tenebris Gratiæ, & Charitatis, adhuc tamen dicebantur in tenebris Gloriæ, quia nondum Chriſtus obtulerat pretium Sanguinis, in Cruce moriendo, nondum mortem deviceerat reſurgendo, nondum captivam duxerat captivitatem, Cœlos aſcendendo: quare, ſi Abraham neſcivit, ſi Iſrael ignoravit, ſi mortui nihil noverunt amplius, non admirandum, dum adhuc longè poſiti erant à beatifica viſione, expectantes beatam ſpem, & adventum Redemptoris, deſcenſumque ejus ad Inferos. Inferendum itaque non eſt, Beatos admirabile lumen poſſidentes Gloriæ, non cognoſcere, quibus indige-

Eſaias 64. 1. 2.

digemus, non audire preces, quas porrigimus; quia illis hoc non fuit conceſſum, quando in tenebris degebant. Sole recedente, & nocte appropinquante, non videmus: ergo nè, lucente Sole, & depulſis tenebris, nihil poterunt oculi inſpicere? Statum tenebrarum cum lucis ſtatu confundere, contendunt hæretici, non attendentes ſe à tenebris eſſe comprehenſos. Si Patres noſtri adhuc in nocte, in tenebris, & non in luce, non viderunt inopiam noſtram, neſcierunt nos: in lumine, in Gloria, in plenitudine Scientiæ Beatæ, ignorabunt nos? Cum adverſarii noſtri, ex relatis Scripturæ textibus, ſolum probent Sanctos nondum glorificatos, ſed exiſtentes in Lymbo, nos orantes non audire, rete ante oculos pennatorum ponunt, nihil inde concludentes; ſermo enim noſter eſt de Beatis, qui in Cœlis regnant. Objectent beneficium Joſiæ Regi collatum, ut apponeretur ad Patres ſuos, nè videret mala, quæ inducturus erat Dominus ſuper Populum Iſrael: beneficium dabimus, at quod inferre præſumunt adverſarii, negabimus. Equidem eluxit miſericordia Dei in translatione Joſiæ, ſi enim ſuperſtes fuiſſet, vidiſſet, & doluiſſet. Ea in terris conditio noſtra eſt, ut videntes mala, quæ nos, aut Amicos noſtros circumdant, doleamus. Joſias ſublatus, nec vidit, nec ſuſtinuit mala, & conditione Status, & Naturæ: Naturæ, quia mortui naturaliter ſcire nequeunt quid inter vivos peragatur; Status, quia in Lymbo commorabatur, & non in Gloria. Mors hoc beneficium contulit Joſiæ, nè ulla mala patiendo, aut compatiendo ſuſtineret, quæ utique vivendo toleraſſet. Beati verò, quamvis videant in Verbo mala, prò quibus eos oramus, ut liberemur, non inde tamen aliquid patiuntur, immò nec

nec compatiuntur. Compati enim eſt cum alio pati; Status autem æternæ felicitatis, eſt excluſivus cujuſcumque mali, doloris, ac triſtitiæ: abſque ulla perturbatione vident afflictiones, quando ad illos recurrimus, & juxta beneplacitum Divinæ Voluntatis, ut ſublevemur, exorant. Hoc totum, abſque ulla imminutione Cęleſtis gaudii, peragunt Sancti. Quomodo autem hoc fiat, quamvis non intelligamus, ſat eſt, ut credamus, credentes, aliquando videre promereamur. Nec aliquid contra mentem Auguſtini ſtatuimus, licet enim plura dixerit in libro de Cura pro Mortuis gerenda, quæ noſtræ reſolutioni minus conſona videri poſſint, ſi tamen attentè perlegatur, quod ſcripſit Sanctus Doctor: pro veritate ſtetiſſe, non illam impugnaſſe manifeſtabitur. Exemplum quidem adducit Sanctiſſimæ Matris Monicæ, quò probet mortuos vivorum actibus, & rebus cognoſcendis, adjuvandiſque non miſceri, ſed per hoc, tantum indicare voluit limites Naturæ, non Gratiæ. Certè Mortui ſecundum proprias, quas poſſident vires, nos audire, & coadjuvare non poſſunt, intereſſe actibus humanis non valent, nec Monica, quamvis fuerit religioſiſſima Fœmina, & Auguſtini amantiſſima Mater, hoc per ſe potuiſſe affirmamus; ſed quod Naturæ non conceditur, denegabitur illicò Gratiæ? Non ea eſt indoles aquæ, ut naturaliter vertatur in vinum, converſam tamen fuiſſe virtute Divina, novimus ex Evangelio. Quatriduanus Lazarus, qui fœtebat in ſepulchro, ex ſe reſurgere non poterat: reſurrexit à voce Domini excitatus: *Alii ſunt*, inquit Auguſtinus, *humanarum limites rerum: alia Divinarum ſigna virtutum: alia ſunt, quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt: quamvis, & Naturæ Deus adſit, ut ſit, & mira-* *Auguſtinus de Cura pro Mortuis cap. 16.*

miraculis natura non deſit. Non igitur ideò putandum eſt, Vivorum rebus quoslibet intereſſe poſſe Defunctos: quoniam quibuſdam ſanandis, vel adjuvandis, Martyres adſunt: ſed ideò potius intelligendum eſt, quod per Divinam Potentiam, Martyres Vivorum rebus interſunt: quoniam Defuncti per Naturam propriam, Vivorum rebus intereſſe non poſſunt. Quamquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincat: quemadmodum opitulentur Martyres his, quos per eos certum eſt adjuvari. Hæc Auguſtinus, quibus declarat ea, quæ in ſuperioribus Capitibus dixerat, intelligenda eſſe de Mortuis, inſpecta eorum propria Natura, per quam nequeunt cognoſcere, quæ in Mundo geruntur, cum extra Mundum poſiti fuerint. Sed quæ Deus mirabilis in Sanctis ſuis donavit eiſdem, ut per gratiam, & gloriam poſſent, non contempſit, aut negavit Sanctus Doctor, qui nobis propoſuit humanarum limites rerum, à Divini operis raritate, vel potius ſingularitate, diſcernere. Scio poſſe repetere heterodoxos, putaſſe Auguſtinum, quod Monica, jam vita feliciori gauderet, & beata eſſet, & tamen concluſit, quod non cognoſceret indigentias, nec audiret preces Filii, adduxitque illud, quod ſcriptum eſt: *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.* Verumtamen, quamvis Auguſtinus rectè ſenſerit de Matre ſua, judicans, quod optimam partem haberet cum Angelis in Cœlis, adhuc non negavit illam in Verbo videre, quæ ad proprium pertinent ſtatum, & complementum Beatitudinis, ſed intulit dumtaxat, quod ſi Mortui naturaliter præſentes eſſent actibus Vivorum, & rebus, hoc potiſſimum appareret in Parentibus diligentibus Filios, hoc in Monica, quæ in vita feliciori, crudelis non eſſet:

Pſalm. 26.10.

eſſet: *Me ipſum pia Mater*, inquit, *nulla nocte deſereret, quæ terra, marique ſecuta eſt, ut mecum viveret*. Igitur Auguſtinus loquitur de quadam aſſiſtentia, quam nonnulli tribuebant omnibus Mortuorum Animabus, ut intereſſent actibus Vivorum, hancque meritò reprobat, & dicit, quod neque Monica, quamvis beata, erat præſens Auguſtino, quem unice dilexit, & nunquam voluit mœſtum videre: conſolata enim fuiſſet triſtem Filium, ſi Mortui hoc per naturam haberent, ut nobis præſentes eſſent, & ex hac præſentia cognoſcerent actus noſtros. Hanc fuiſſe mentem Auguſtini manifeſtè datur intelligi, quia in ſequenti Capite decimoquarto, quærit quæ, & quomodo, & per quos cognoſcere poſſint Mortui, quæ apud Vivos geruntur, & triplicem aſſignat, ſeu ſtatuit modum cognitionis; Primus eſt, quod Mortui audiant ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, ſed quæ ſinuntur indicare, qui ſinuntur etiam iſta monuiſſe, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire; Alter verò eſt, ut per Angelos, qui rebus, quæ aguntur hic præſto ſunt, aliquid cognoſcant, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta ſubjecta ſunt; Tertium verò modum ità deſcribit Auguſtinus: *Poſſunt etiam ſpiritus Mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ neceſſarium eſt, eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt, eos non noſſe: non ſolum præterita, vel præſentia, verum etiam futura, Spiritu Dei revelante, cognoſcere: ſicut non omnes homines, ſed Prophetæ, dum hic viverent, cognoſcebant, nec ipſi omnia, ſed quæ illis eſſe revelanda Dei providentia, indicarat. Mitti quoque ad Vivos aliquos ex Mortuis, ſicut è contrario, Paulus ex Vivis in Paradiſum raptus eſt, Divina Scriptura teſtatur.* *Auguſt. eodem loco de Cura pro Mortuis.*

Digitized by Google

ſtatur. Ex hoc itaque triplici cognitionis modo indicato ab Auguſtino, patet illum in ſuperioribus fuiſſe locutum de Mortuis ſecundum cognitionem propriæ naturæ, quæ non eſt talis, ut valeat cognoſcere actus noſtros. Non enim quæreret in ſubſequentibus Capitibus, quod in ſuperioribus firmarat. Si in poſterioribus aſſerit, Deo revelante, non ſolùm poſſe, ſed etiam ſcire Beatos, quæ neceſſarium eſt eos noſſe, & quæ neceſſarium non eſt, eos non noſſe: fatendum omninò eſt, aut contraria docuiſſe Auguſtinum, & quod in uno firmarat, deſtruiſſe in altero Capite: aut quod verum eſt, in antecedentibus fuiſſe locutum de ſpiritibus Mortuorum ſecundum limites propriæ naturæ: in poſtremis verò ſecundum irradiationem Gratiæ, & Gloriæ. Revelatà facie Deum contemplantur Beati, & in ſpeculo illo ſine macula, vident, quæ abſcondita remanerent oculis eorum, niſi datum fuiſſet in lumine lumen videre. Verum, ut cum eodem Auguſtino loquar: *Iſta divinitus exhibentur longè aliter, quam ſe ſe habet uſitatus ordo ſingulis Creaturarum generibus attributus*. Ideò ad explicandum difficilè redditur, quam difficultatem præſenſit Sanctus Doctor, ideò ab aliis quæſtionem ſolvi cupiebat: aſſeruit tamen cognoſci à Sanctis preces, & audiri, quando in neceſſitatibus, eorum auxilium expoſcimus, ut patet exemplo Sancti Felicis Nolani, quod adducit in principio Capitis decimi ſexti. Non me latet Auguſtinum explicari ab aliquibus de quadam præſentia reali, quam nonnulli tribuebant Spiritibus Sanctorum, quod quidem, ſi permittatur, noſtra reſolutio intacta relinquitur. Aliud enim eſt, quod Sancti in Verbo videant actus noſtros, ſeu cognoſcant, quod ab eis poſtulando petimus: aliud

Div. Auguſt. eo loco cap. 16.

Digitized by Google

aliud quod Sancti interſint, ſeu præſentes ſint ubi eos oramus: primum non impugnatur ab Auguſtino, ut ſupra oſtenſum fuit: alterum ſub dubio relinquitur, ut indicant verba ſupra relata: *Iſta quæſtio*, inquit, *vires intelligentiæ meæ vincit, quemadmodum opitulentur Martyres his, quos per eos certum eſt adjuvari: Utrum ipſi per ſe ipſos adſint, uno tempore tam diverſis locis, & tanta inter ſe longinquitate diſcretis: ſive ubi ſunt eorum memoriæ, ſive propter ſuas memorias ubicumque adeſſe ſentiuntur.* Accidit aliquando, ut ejuſdem Sancti ſuffragium, plures expoſcant in diverſis Provinciis, ac Regnis: incertum eſt, an ille Sanctus ſit præſens ſimul Romæ, Jeroſolymis, Pariſiis. Nihil enim de hac præſentia definivit Eccleſia: nihil expreſsè habetur in Sacris Litteris: nihil per verbum traditum annuntiatum fuit nobis à Patribus noſtris. Hoc altè conſiderans, noluit aliquid temerè definire Auguſtinus, ſed potius alios conſulere rectiùs excogitavit: *Et de Martyribus ab illo* (Joanne ſcilicet Monacho) *pergerem quærere: Utrum ipſi adſint in ſomnis, vel quocumque alio modo, videntibus eos, in qua figura voluerint: & maximè, quandò ab eis ſe torqueri Dæmones profitentur, & rogant eos, ut parcant ſibi: an iſta fiant Dei nutu per Angelicas poteſtates, in honorem, commendationemque Sanctorum: ad utilitatem hominum; illis in ſumma quiete poſitis, & ad alia longè meliora viſa vacantibus ſeorſim à nobis, orantibus prò nobis:* Hoc, quod ut dubium reliquit Sanctus Doctor, ut certum non proponimus amplectendum heterodoxis. Dicant Sanctos Dei audire, & cognoſcere preces, quas porrigimus, & lis finita eſt. Utinam finiatur error per quem ſeparantur à nobis, ab Unitate Eccleſiæ, à Catholica Fide; & poſtremò ab æterna

Idem Auguſt. eo capite.

Div. Auguſt. cap. 17.

Digitized by Google

Beatitudinis Regno excludentur. Si autem hæſitaverint circa illam continuam præſentiam apud Sanctorum memorias, vel ubi funduntur preces, ſupplicationeſque: nec nos certò aliquid ſtatuere audemus, quamvis aliquando, non ſolum beneficiorum effectibus, verum etiam ipſis hominum aſpectibus, Sanctos apparuiſſe ſciamus, non incertis rumoribus, ſed teſtibus certis. Qui plura noſſe cupierit, illud ex Sacris Litteris firmiter retineat: *Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus, nè fueris curioſus.* Non enim, inquit illuminatiſſimus Auguſtinus, *parvus eſt fructus, ſi aliqua obſcura, & incerta, quæ comprehendere non valemus, clarum ſaltem, certumque ſit nobis, non eſſe quærenda, & quod unuſquiſque vult diſcere putans prodeſſe, ſi ſciat: diſcat non obeſſe ſi neſciat.* Quæ ſuperius ex Origene reponebant; nihil aliud ſuadent, quod Mortui neſciant abſque irradiatione, quid inter Vivos peragatur, ſuperfluum pariter judicamus, vel minimum dubitare de mente Gregorii Nanzianzeni. Satis demonſtratum eſt ex verbis ipſius, direxiſſe preces ad Sanctos cum Chriſto regnantes, ut videntes quæ patimur mala, pro nobis Interceſſores exiſterent. Et in Oratione, quæ citatur, recurrit ad Sanctam Gorgoniam, quam, & apud Deum poſſe dijudicat, & cognoſcere pro quibus ſupplicabatur, exiſtimat. Et quamvis adhibeat particulam *Si*: tamen non dubitantis animi indicium eſt, ut patet ex pluribus Scripturæ textibus, in quibus recenſita particula, aliquando magis firmitatem animi, quam mobilitatem deſignat. Liceat in ea ſim ſententia, Nanzianzenum appoſuiſſe particulam ad provocandum, ſeu magis movendum

Eccleſiaſtici 3.

Auguſtin. de Cura pro Mortuis cap. 17.

affe-

Digitized by Google

affectum juxta communem uſum loquendi apud omnes; Sæpè audimus Filios alloquentes Patres, poſtulantes, ut quæ exoptant, concedant, ſi eos diligant. Non dubitant Filii de amore Parentum, ſed cauſam impellentem, ſeu motivum concedendi, Filii proponunt Parentibus. Optimè noverat Gregorius, etiam in ſenſu adverſariorum, Gorgoniam in Dei verbo cognoſcere, quæ ad illam dirigebantur preces. Etenim Sanctos orandos negant heterodoxi, quia non audiunt, nec cognoſcunt quæ ab ipſis orando expoſcimus. Si ergo Nanzianzenus Gorgoniam oravit, illam audire, & cognoſcere Orantis indigentiam ſuppoſuit. Si dixerint Gregorium erraſſe: illicò inſurgemus clamando: Cur ergo nobis errantis exempla profertis amplectenda? Nunquid hæc veſtra Doctrina eſt, ut ſequamur ſemitam errantium? A tramite Veritatis non deviantium, veſtigia ſectari proficuum arbitramur. Hoc nobis inſinuat Scriptura: hoc docuerunt nos Patres noſtri: hoc demonſtravit Nanzianzenus, quem non erraſſe fatemur, recurrendo ad Gorgoniæ patrocinium. Ulterius aliquid addimus, quod ſi permitteremus hæreticis, Nanzianzenum ſubdubitaſſe, an Beati cognoſcant, & audiant nos orantes, adhuc in ſuis erroribus ab eodem Sanctiſſimo Theologo confutarentur, dum facto comprobavit utile, proficuum, ac Chriſtianum Sanctos orare, ac Interceſſores apud Deum adhibere, quamvis incerti, ſeu dubii ſimus, an intelligant quid ab eis orando petimus. Ceſſet ergo hæreſis renovata clamare: Inutile eſt Sanctos orare, quia neſciunt, non audiunt, nec noſtras intelligunt preces. Nanzianzenus, juxta pravam heterodoxorum interpretationem, in ea fuit opinione, ut ignorarent Beati, quod ab eis expo-

ſcimus, & tamen orare non deſtitit Gorgoniam, Cyprianum, Baſilium. Itaque, ſive audiant Sancti, & cognoſcant in Verbo, ut nos profitemur, ſive non intelligant, ut vos impiè clamatis, adhuc ad eos confugiendum tanquam ad Protectores apud illum, qui eos coronavit, & conſtituit hæredes. Feliciter conſumato agone, Mundi, Carniſque illecebras cum Dæmone ſuperarunt, potentes ſunt, ut intercedant pro illis, qui cum timore, & tremore ſalutem debent operari; Reliquerunt nobis formam certandi, nè deſides ſimus, vel certare recuſantes, vel modum præſcriptum contemnentes: contemnitur autem, quoties novus intentatur: novus eſt, ſi à Patribus noſtris non fuit indicatus, immò potius reprobatus. Reprobaſſe demonſtravimus abundè, ut opinor; quod cum ita ſit, dicam cum Vincentio

Vincent Lyrinen. adver. hæreſ. cap. 14. Lyrinenſi: *Eſt nè aliquis tantæ audaciæ, qui præter id quod apud Eccleſiam annuntiatum eſt, annuntiet: vel tantæ lævitatis, qui præter id quod ab Eccleſia accepit, accipiat.* Scio in ſui erroris excuſationem, heterodoxos Sacrarum Scripturarum teſtimonia proferre, ut incautos decipiant, & ſuadeant ſimplicibus, in abdicando Sacrarum Reliquiarum Cultu, aliiſque hæreſibus firmandis, ab Eccleſia, & Patrum ſenſu non receſſiſſe. Veruntamen præmonuit nos

Matth. 7. 15. Dominus inquiens: *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus au-*

Vide Lyrinen. in Commonit. *tem ſunt lupi rapaces*. Veſtitus ovium ſunt eloquia, & oracula Prophetarum, quibus tanquam velleribus induuntur hæretici, ut dilacerent Gregem Chriſti, & Eccleſiaſticum Dogma ſcindant, atque Patrum terminos transferant. Ut tentaret Dominum Diabolus, ovinam veſtem aſſumpſit, & dixit:

Matth. 4. *Si Filius Dei es, mitte te deorſum*: *ſcriptum eſt enim:*

quia

Digitized by Google

quia Angelis ſuis mandavit de te, ut in manibus tollant te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum. An Diabolo credendum eſt, quia Sanctarum Scripturarum authoritatem illum adhibere contingit? Transfigurat ſe in Angelum lucis, ſemper tamen eſt Satanas. Transfigurant ſe in Apoſtolos Chriſti hæreſiarchæ, adhuc tamen fugiendos eſſe tanquam pſeudo-Apoſtolos, & Operarios ſubdolos, docet Paulus in ſecunda, quam ad Corinthios ſcripſit Epiſtola. Solemne ſemper fuit hæreticis Scripturæ verbis, ſuos adumbrare, ſeu conſpergere errores. Hujus rei cauſam nobis aperuit Lyrinenſis in Commonitorio capite trigeſimo quinto inquiens: *Sciunt fætores ſuos nulli ferè eſſe placituros, ſi nudi, & ſimplices exhalentur; Atque idcircò eos Cæleſtis Eloquii, velut quodam aromate aſpergunt, ut ille, qui humanum facilè deſpiceret errorem, Divina non facilè contemnat Oracula. Itaque faciunt, quod hi ſolent, qui parvulis auſtera quædam temperaturi pocula, prius oras melle circumlinunt, ut incauta ætas, cum dulcedinem præſenſerit, amaritudinem non reformidet. Quod etiam his cura eſt, qui mala gramina, & novos ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi ſupraſcriptum legerit remedium, ſuſpicetur venenum.* Hæc igitur veſtis Scripturarum, non tollit ex Lyrinenſi mores lupinos hæreticorum, immò magis cavendi ſunt, quia ſub Divinorum Eloquiorum umbraculis latitant; Magis ſiquidem pertimeſcendus eſt hoſtis occultus, quam manifeſtus. Utimur & nos Divinæ Legis teſtimoniis, ſed juxta communem Patrum noſtrorum interpretationem, juxta Catholicæ Eccleſiæ authoritatem, per quam Scripturæ ſenſa finiuntur. Hæreticus verò interpretationem ſibi uni reſervat, reli-

Ad Corinth. 2. 11. 13.

reliquos omnes clamitans miris modis allucinari. Protulit Arius id, quod ſcriptum eſt: *Pater major me eſt*, & Filium Dei interpretatus eſt eſſe Creaturam. Paulus Samoſatenus, Neſtorius, veſana expoſitione, diviſerunt Chriſtum, Eutiches confuſionem intulit. Denique omnium hæreticorum opuſcula perlegantur, & humanos errores veteris, ac novi Teſtamenti, ſententiis coloratos inveniemus. Et ut ad rem noſtram propiùs accedamus, Vigilantius, quem ſecuti ſunt Novatores, nè contemneretur ab omnibus, hæreſum venena, Sacrarum Scripturarum melle, temperare curavit. Attamen deprehenſus fuit non tenere univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem, nec Divinum Canonem ſecundum Univerſalis Eccleſiæ Traditiones, juxta Catholici Dogmatis regulas interpretari. Quapropter, quoaduſque perſeveraverint moderni heterodoxi contra Sacrarum Reliquiarum Cultum, adhibitis etiam Divinæ Legis teſtimoniis, ſed abſque univerſitate, antiquitate, & conſenſione, nec juxta Catholici Dogmatis regulas, cauſam perdidiſſe arbitramur, & Diabolum per eos locutum fuiſſe, minimè dubitamus. Sancta ſunt verba Scripturarum, ſed ab hæreticis in propriam, & aliorum perniciem depravantur, ſicut de Epiſtolis Paulinis commonuit nos Princeps Apoſtolorum Petrus: Sancta ſunt, ſed non ſanctè tractantur ab his, qui non ſervant regulam, ab Unitate diſceſſerunt, & Catholicæ Eccleſiæ conſenſionem rejiciunt. Denique intelligant hæretici ad ipſos non ſpectare Scripturas. Poſſeſſio Scripturarum penes illos eſt, apud quos Fidei depoſitum cuſtoditur: ſic contra illos pronunciavit Tertullianus: *Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent: in ipſo vero congreſſu fir-*

Tertullian. de Præſcription. cap. 15.

firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad ullam de Scripturis diſputationem. Sic hæ ſunt vires eorum, uti nè eas habere poſſint: diſpici debet cui competat poſſeſsio Scripturarum, nè is admittatur ad eas, cui nullo modo competit. Si ergo ad vos nullo modo pertinent Scripturæ, quoties illas proponitis, à Catholica Eccleſia, quarum eſt poſſeſſio, expectanda eſt interpretatio: *Ubi enim*, ſubdit idem Tertullianus, *apparuerit eſſe veritatem Diſciplinæ, & Fidei Chriſtianæ, illic erit Veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum.* Idem cap. 18. Evanuit à Lutheranis, & Calviniſtis Veritas Diſciplinæ: receſſerunt à Fide Catholica: apud ipſos ergo non eſt Veritas Scripturarum, & expoſitionum, & omnium Traditionum Chriſtianarum, immò ad nudum Traditionum nomen perhorreſcunt, & hanc Fidei regulam, à Majoribus noſtris nobis traditam, non recipiunt, ſolum Verbum Dei ſcriptum admittentes, hocque adulterantes; ut ſupra ſub brevitate demonſtravimus, & fuſiori calamo, Vita duce, alibi declarabimus. Nunc ſupereſt, ut ea, quæ ſcripſimus, infallibili Romanæ Eccleſiæ judicio ſubjiciamus. Abſit à Filio, ut dimittat Legem Matris ſuæ; & quæ in hoc Opuſculo pronunciaverit corrigenda, & ipſe non corrigam. Melius eſt à Sapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Pientiſſima Mater Eccleſia in ſpiritu lenitatis inſtruit Filios ſuos, quæ etiam novit benignè complecti ad ipſam revertentes; Hanc inſtructionem non deſeram, nè arguat me Dominus in furore, eo quod deſpexerim ſpiritum lenitatis Sponſæ ſuæ Matris meæ. Si approbaverit labores meos in Domi-

no.

no gloriabor, pro me ipſo nihil gloriabor: ſi autem oppoſitum judicaverit, acquieſcam ſapientiſſimo, & irreformabili illius Judicio. Errare quidem poſſum, at pertinacem eſſe recuſo, nè decidam à ſpe hæreditatis Filiorum. Nimium amabile eſt Catholicæ Eccleſiæ Filiationem poſſidere, hanc qui perdiderit ſalvus eſſe non poterit. Neceſſe eſt ut aquis diluvii pereat, qui extra hanc Arcam commoratur. Cruciari in Arca, æternæ conſolationis fructum non excludit: extra Arcam delectari, eſt certæ damnationis damna comparare. Ut ergo tam grande malum effugiam, lubenti animo, & corde puro, me, omniaque ſcripta mea, Sacroſanctæ Romanæ, ac Univerſalis Eccleſiæ cenſuræ, ſubmitto, retractans ſi quid, vel minimum apparuerit ſanctiſſimis ejus legibus, decretis, atque inſtitutis contrarium: in qua enim, Deo largiente, datum fuit renaſci, in eadem vivere, ac mori delectabor. Votum meum exaudiat ille, qui ut adoptionem Filiorum reciperémus, è ſinu Patris in Terram deſcendens, Carnem noſtram aſſumere dignatus eſt, Deipara, Sanctiſque omnibus intercedentibus, quorum Religioſum Cultum prò viribus defenſare curavi.

Interim, & vos commonere non deſiſtam, ò heterodoxi, eadem, quæ in principio Operis, in fine ſervans viſcera Charitatis, ut ad cor redeatis. Quid adhuc hæſitatis errantes, nunc Dominum blaſphemantes, nunc Servis Domini invidentes, nunquam ſaluti veſtræ conſulentes? Extra Eccleſiam Catholicam Romanam nulla eſt ſalus. In ſeparatione itaque commorantes, certa eſt veſtra perditio, & Chriſtus nihil vobis proderit: *Quomodo*, clamat Cyprianus, *poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum Sponſa Chriſti, ac in ejus Eccleſia non eſt? Neceſſe eſt*, re-

Cyprianus Epiſt. 19.

repetit Lyrinenſis, *omnibus deinceps Catholicis, qui ſeſe Eccleſiæ Matris legitimos Filios probare ſtudent, ut Sanctæ, Sanctorum Patrum Fidei agglutinentur, immoriantur, profanas verò profanorum novitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur.* Fidem neglexiſtis Patrum, eiſque agglutinari renuiſtis: Duces veſtri facti ſunt Lutherus, Melanthonius, Calvinus, Zuinglius, Bucerus, Æcolampadius, omnes profani homines, Fidei Catholicæ deſertores, & profanarum novitatum amatores, & inventores. Qui illos ſequuntur, imitantur, & prædicant, Filios tenebrarum, & non lucis ſeſe manifeſtant. Mutaſtis nomina ob Fidei variationem, quæ cum una ſit, illicò ac variatur, nulla profectò ſit. Jam inter vos alii ſunt Lutherani, alii Calviniani, alii Puritani, alius alium deſtruit, unus alterum condemnat. Pulcherrimum illud nomen, quo Filii lucis gloriantur, ut Catholici nominentur, & ſint, perdidiſtis. Variatio nominum, veſtram redarguit inconſtantiam, & ab Unitate vos diſceſſiſſe conteſtatur: *Hanc Eccleſiæ Unitatem*, inquit Cyprianus, *qui non tenet, tenere ſe Fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? Quando Beatus Apoſtolus Paulus hoc doceat, & Sacramentum Unitatis oſtendat, dicens: Unum Corpus, & unus ſpiritus, una ſpes vocationis veſtræ, unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus.* Qui Fidei Unitatem amplectitur, ſecum repetit: Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus cognomen: Teſtes vos adhibeo, nec ab aliis exquiram, an vobis jure competat tam præclarum nomen, tam ſaluberrimum cognomen? Si velitis vera narrare, ab his excidiſse clamabitis. Miſeri facti eſtis, oves errantes abſque Paſtore, alienum ex propria ele-

Lyrinen. in Cõmonit. Cap. ultimum.

ctione ſequentes, qui Doctrinis variis, ac peregrinis, quaſi venenatis pabulis, Animas veſtras perdit in Gehennam. Eja revertimini ad Paſtorem Chriſtum, qui iterum vocat vos; Properate ad ſinum Matris Eccleſiæ, quæ vos expectat: proferet illa citò ſtolam primam, qua propter veſtram incredulitatem fuiſtis denudati: inſtituet hæc convivium grande, convivium pinguium, quia Filius, qui mortuus fuerat revivixit, & qui perierat inventus eſt. Lætabimur,& nos in numero Fratrum,in Domo Dei, in Eccleſia Chriſti,ambulantium cum conſenſu. Alienorum Lutheri, Calvini, & ſimilium dicentium, non receſſiſſe à vobis Chriſtum, nec vos à Chriſto, voces nè audiatis. Quicumque ſegregatus eſt ab Eccleſia, non adhæret Chriſto: Non eſt Amicus Sponſi, qui non diligit Sponſam, ſeque ab ejus Unitate divellit. Præclariſſimum Fidei Athletam Cyprianum auſcultate: *Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis radii multi, ſed lumen unum eſt: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatur. Et cum de Fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas, licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, Unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium Solis à Corpore, diviſionem lucis unitas non capit. Ab Arbore frange ramum, fructum germinare non poterit. A Fonte præcide rivum, præciſus areſcet: Sic & Eccleſia Domini, luce perfuſa per Orbem totum, radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas Corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit profluentes largiter rivos latius expandit, unum tamen caput eſt, & origo una; & una Mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutri-*

Cyprianus de Unit. Eccleſ.

trimur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt Chriſti Sponſa, incorrupta eſt, & pudica. Unam Domum novit, unius Cubiculi Sanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc vos Deo ſervat, hæc Filios Regno, quos generavit, adſignat. Quiſque ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur, nec perveniet ad Chriſti præmia, qui reliquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Si potuit evadere, qui extra Arcam Noe fuit, & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit. Heù heù quam terribilis eſt Cypriani ſententia! Quantam nobis, qui intus ſumus ingerit conſolationem, tantam vobis, qui foris eſtis incutit terrorem. Habere non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet Matrem. Octo Animæ temporibus Noe ſalvæ factæ ſunt, quæ intra Arcam morabantur. Quot quot extra inventæ ſunt, inundantibus aquis diluvii perierunt. Intelligite ſimilitudinem, & expaveſcite. Hoc unum diſcrimen agnoſco in Arca, quæ ex ſententia Patrum noſtrorum, typum geſtavit Eccleſiæ; quod Arcæ clauſum fuit oſtium poſt ingreſſum Noe, Eccleſiæ autem adhuc eſt apertum, ut vos intrare poſſitis. Deponite hæreſum ſarcinulas, renuntiate erroribus, dimittite Magiſtros prurientes auribus; Intrate in Eccleſiam veræ Fidei Magiſtram: Chriſtus vos invitat, Eccleſia vos recipere, ſemper eſt parata. Quandiù eſtis alieni, profani, hoſtes? Volumus vos Amicos, & Fratres. Properate rivuli ad Fontem, nè areſcatis: rami ad Arborem, ut germinetis. Exurgite, illuminabit vos Chriſtus, à quo Chriſtiani. Intrate in Eccleſiam toto Orbe diffuſam, à qua Catholici nominantur. Vagantes greſſus ab

Digitized by Google

erroribus revocate, iter rectum viæ Cœleſtis agnoſcite: ſolvite laqueos captivi: redite ad Arcam. Impleat Dominus deſiderium meum, ut vos ad Eccleſiam Matrem in Unitate Fidei, in oſculo pacis, in vinculis Charitatis videam revertentes. Supplex Agmina Beatorum deprecor, ut ſint vobis in adjutorium, & intercedant apud Majeſtatem Domini, quò cognoſcatis ſemitam Veritatis. Detraxiſtis quidem Sanctorum Cœtui, debitum eorum Reliquiis honorem proſcribendo, rejicientes invocationem, Patrocinium contemnentes. Non levis hæc culpa eſt reputanda, cum Catholicæ Fidei ordinem invertat, & teſte Lyrinenſi: *Magno nobis mutatæ Fidei, ac temeratæ Religionis piaculum pertimeſcendum eſt, à quo nos, non ſolum Conſtitutionis Eccleſiaſticæ Diſciplina, ſed etiam cenſura Apoſtolicæ, deterret authoritatis. Scitum enim cunctis eſt quàm graviter, quàm ſeverè, quàm vehementer invehatur in quoſdam Beatus Apoſtolus Paulus, qui mira levitate nimium citò translati fuerant ab eo, qui eos vocaverat in gratiam Chriſti in aliud Evangelium, quod non eſt aliud: qui coacervaverant ſibi Magiſtros ad ſua deſideria, à Veritate quidem auditum avertentes, converſi verò ad fabulas, habentes damnationem, quod primam Fidem irritam feciſſent.* Adhuc tamen votis meis Sanctos non defuturos ſperarem, cum ſint Filii Patris, qui in Cœlis eſt, qui pluit ſuper juſtos, & injuſtos, oriri facit Solem ſuum ſuper bonos, & malos, illum imitari non recuſabunt, ut impetrent quod non meremur accipere. Hic ſit finis ſcribendi: depono Calamum, quem aſſumpſi in obſequium Sanctorum: hic ſit vobis finis errandi: Deponite hæreſes, ut una cum Sanctis regnare poſſitis in Cœleſtibus, præ-

Lyrinenſ. in Commonit. ut ſupra.

Digitized by Google

præſtante hoc Jeſu Chriſto Redemptore noſtro, qui eſt Deus benedictus in ſæcula, quive, non tantum poſtulata tribuit, ſed interdum etiam non ſperata largitur.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX
Locorum Sacræ Scripturæ.

EX LIBRO GENESIS.

48. 15. *Deus in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei Abraham, & Iſaac &c.* pag. 112.

EX LIBRO EXODI.

13. 19. *Tulit quoquè Moyſes oſſa Joſeph. pag.* 18.
32. 1. *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant*. pag. 62.
Ibid. 8. *Iſti ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti*. pag. 62.

EX LIBRO NUMERI.

21. 5. *Anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo*. pag. 62.

EX LIBRO DEUTERONOMII.

16. 5. *Non poteris immolare Phaſe in qualibet Urbium tuarum &c.* pag. 137.

EX LIBRIS REGUM.

4. 13. 21. *Revixit homo, & ſtetit ſupra pedes ſuos*. pag. 27.
3. 5. 4. *Et non eſt Satan, neque occurſus malus*. pag. 70.
1. 1. 10.11. *Cum eſſet Anna amarò animo, oravit ad Dominum &c.* pag. 137.
24. *Et adduxit eum ſecum poſtquam ablactaverat in vitulis tribus &c.* pag. 137.
2. 6. 21.22. *Ante Dominum, qui elegit me potius, quam Patrem*

trem tuum . . . . vilior fiam pluſquam factus ſum . pag. 15.
1. 21. 9. *Non eſt huic alter ſimilis , da mihi eum* . pag. 16.

EX ISAIA.

11. 10. *Et erit ſepulchrum ejus glorioſum* . pag. 48.
36. 6. *Confidis ſuper baculum arundineum confractum &c.* pag. 107.
63. 16. *Abraham neſcivit nos , & Iſrael ignoravit nos* . pag. 178.
64. 1. *Utinam dirumperes Cælos , & deſcenderes &c.* pag. 179.

EX JEREMIA.

6. 16. *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias , & videte &c.* pag. 5.
17. 5. *Maledictus homo , qui confidit in homine &c.* p. 107.

EX LIBRO JOB.

5. 1. *Voca ergo , ſi eſt qui tibi reſpondeat , & ad aliquem Sanctorum convertere* . pag. 51.
42. 9. *Suſcepit Dominus faciem Job &c.* pag. 107.
19. 26. *Et in carne mea videbo Deum meum* . pag. 16.
22. 14. *Nubes latibulum ejus &c.* pag. 165.

EX LIBRO PSALMORUM.

13. 5. *Illic trepidaverunt timore , ubi non erat timor* . pag. 21.
135. 4. *Qui facit mirabilia magna ſolus* . pag. 25.
92. 5. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis* . pag. 30.
33. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum &c.* pag. 44.
95. 5. *Omnes Dii Gentium Dæmonia* . pag. 67.
96. 7. *Confundantur omnes , qui adorant ſculptilia* . p. 77.
25. 8. *Domine dilexi decorem Domus tuæ* . pag. 103.

Au-

120. 2. *Auxilium meum à Domino*. pag. 106.
145. 4. *Exhibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam*. pag. 107.
144. 19. *Voluntatem timentium ſe faciet*. pag. 169.
26. 10. *Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me*. p. 182.

EX PROVERBIIS.

26. 5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam &c.* pag. 162.

EX ECCLESIASTE.

3. 19. *Unus interitus eſt Hominis, & Jumentorum &c.* pag. 45.
9. 5. *Mortui verò nihil noverunt amplius*. pag. 177.
. 10. *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare*. ibid.

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

3. 2. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori*. pag. 14.

EX LIBRO ECCLESIASTICI.

48. 15. *In vita ſua fecit monſtra &c.* pag. 27.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

11. 4. *Euntes renuntiate Joanni, quæ audiſtis &c.* p. 27.
4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis &c.* pag. 41.
21. 13. *Domus mea Domus Orationis vocabitur*. pag. 57.
23. 29. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulchra Prophetarum*. pag. 63.
28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſumationem ſæculi*. pag. 71.
16. 26. *Quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur? &c.* pag. 107.

Digitized by Google

22. 32. *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob; non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* pag. 14.

27. 51. *Et ecce Velum Templi ſciſſum eſt in duas partes &c.* pag. 176.

EX MARCO.

16. 1. *Et cum tranſiſſet Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata &c.* pag. 17.

16. 17. *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur &c.* pag. 25.

EX LUCA.

2. 41. *Et ibant Parentes ejus per omnes annos in Jeruſalem &c.* pag. 138.

16. 22. *Mortuus eſt autem dives, & ſepultus eſt in Inferno &c.* pag. 171.

EX JOANNE.

15. 24. *Si opera non feciſſem in eis &c.* pag. 26.

1. 12. *Quotquot autem receperunt eum &c.* pag 52.

12. 3. *Maria ergo accepit libram unguenti nardi piſtici &c.* pag. 55.

EX LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM.

5. 14. *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo &c.* pag. 28.

23. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate &c.* pag. 113.

EX

Digitized by Google

EX EPISTOLIS S. PAULI.

EX EPIST. AD ROMANOS.

9. 20. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? &c.* pag. 53.
3. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per Fidem.* pag. 125.

EX PRIMA AD CORINTHIOS.

6. 19. *An neſcitis, quoniam membra veſtra, templum ſunt Spiritus Sancti &c.* pag. 13.
15. 51. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* pag. 16.
13. 8. *Charitas nunquam excidit &c.* pag. 153.

EX SECUNDA AD CORINTHIOS.

6. 14. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? &c.* pag. 133.
3. 8. *Quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* pag. 155.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

4. 5. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.* p. 61.
6. 13. *Accipite armaturam Dei &c.* pag. 125.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

4. 1. *Gaudium meum, & Corona mea: ſic ſtate in Domino.* pag. 6.

EX SECUNDA AD THESSALONICENSES.

3. 4. *Confidimus autem de vobis in Domino &c.* pag. 107.

Digitized by Google

EX EPIST. CANONICA S. JUDÆ APOSTOLI.

9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur &c.* pag. 59.

EX APOCALIPSI.

8. 4. *Et aſcendit fumus incenſorum de Orationibus Sanctorum &c.* pag. 51.

IN-

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

Abuſus Sacramentorum non minuit Sanctitatem illorum. pag. 110.
Agnetis Virginis apparitio. 174.
Altaria non eriguntur abſque Reliquiis Sanctorum. 57. *& ſeq.*
S. Ambroſius eleganter deſcribit Miracula Sanctorum Gervaſii, & Protaſii. 34. *& ſeq.*
Mirè retundit objecta Arianorum. 35.
Angelorum miniſteria ubique diffuſa. 157.
Angeli offerunt Deo Orationes noſtras. 160.
Cognoſcunt noſtras poſtulationes. *ibid.*
Animæ honor, & dignitas, quomodo redundet in Corpus. 12. *& ſeq.*
Animæ Sanctorum expectant diem extremum ad glorificationem Corporis. *ibid. &* 16.
Anima Juſti, Deo acceptior eſt poſt, quam ante conſumationem. 28.
Antiqui deferebant infirmos ad Sepulchra Sanctorum. 131.
Apocalypſis Joannis, Divinæ Auctoritatis eſt. 159.
Alogiani, & Marcionitæ hæretici illam rejecerunt. *ibid.*
Plures Sanctorum apparitiones ex Patribus referuntur. 173. *& ſeq.*
Argumento à minori ad majus utitur Apoſtolus in 2. ad Corinth. 3. pag. 155.
Hic modus arguendi fuit familiare Patribus. *ibidem*.
Ariani negarunt, vera Miracula Deum per Martyres ſuſcitaſſe. 35.
Auguſtinus Romæ ſcripſit libros de moribus Eccleſiæ, & de moribus Manichæorum. 87.
Liber de moribus Eccleſiæ non fuit primus fœtus Auguſtini. 89.

Non

Non temperavit ſententiam contra ſepulchrorum adoratores in aliis libris. 91. *& ſeq.*
Quinam dicantur ab Auguſtino ſepulchrorum adoratores. 92.
Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiæ non reprehendit Sacras Reliquias honorantes. 94.
Nec illos qui deferebant cibos in uſum Pauperum ad Sepulchra Martyrum. *ibid.*
In libro ad Quodvultdeum non recenſet omnes hæreticos, & quare? 128.
Nihil voluit temerè definire circa modum quo Beati cognoſcunt Orationes. 185.

B

S. B*aſilius Sacrarum Reliquiarum Cultum commendat*. 20.
Beati. Vide *Sancti*.
Beatitudinis ſtatus expoſcit, ut Sancti cognoſcant, quando ad ipſos recurrimus. 153.
Bellarmini ſapientia collaudatur. 76.
Bellarminus cenſet Auguſtinum temperaſſe ſententiam, quam junior tenuit circa ſepulchrorum adoratores. 88.
Benedictus XIII. aſſiduus in Conſecratione Altarium. 72.
Bernardus quam devotus in Virginem. 165.
Bona temporalia, in ordinem ad Beatitudinem ſunt petenda. 105.
Bracharenſe Concilium tertiam partem proventuum pro Eccleſiæ luminaribus aſſignat. 100.

C

C*Aligula ſibi Sacerdotes inſtituit*. 105.
Calvinus fictitiè mortuum præſumpſit ſuſcitare, & verè mortuum fecit. 33.
Calviniſtæ in Gallia Corpora Sanctorum igni tradiderunt. 19.
Certitudo duplex, metaphyſica, & moralis. 116.
Pro Cultu Sacrarum Reliquiarum certitudo moralis ſufficit. *ibid.* *& ſeq.*

Chri-

Digitized by Google

Chriſtiani Rodingi audacia reprimitur . 161 . & ſeq.
Cœna Charitatis , quæ eſſet apud Chriſtianos antiquos . 89.
Quare ſublata fuerit per Laodicenam Synodum . 90.
Deferebantur Cibi in uſum Pauperum ad Sepulchra Martyrum . ibid.
Tempore Auguſtini adhuc in Africa mos iſte vigebat . 91.
Collidriani quinam fuerint ? 164.
Corporibus Sanctorum utitur Spiritus Sanctus tanquam organis , & vaſis ſecundum Auguſtinum . 13.
Corpora Sanctorum membra ſunt Chriſti , & Templum Spiritus Sancti, quomodo dicantur ? ibid.
Corpora Sanctorum , quamvis mortua , ſubſignata ſunt in ſpem melioris Reſurrectionis . 14.
Hæc ſubſignatio fat eſt,ut diſtinguantur Cineres Sanctorum ab aliis . ibid.
Corpus quamvis ſeparatum ab Anima,eſt dignum obſequio ob Sanctitatem ejuſdem Animæ . 14. 15.
Differunt inter ſe Cineres Pauli Apoſtoli, & Judæ proditoris , & quomodo ? ibidem.
Corpora Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii tempore S. Ambroſii inventa fuerunt . 30.
Mirabiliter illuminatur Cæcus Sudario , quod Feretrum Sanctorum tetigerat . ibid.
Corpori Moyſis multum honoris delatum fuit . 60.
Corpus Moyſis quare ſepultum per manus Domini ? 61.
Cultus latriæ abſolutus nulli puræ Creaturæ redditur . 49.
Cultus , qui ſoli Deo debetur , nunquam reddunt Catholici Creaturis . 101.
Qualis Cultus ſit reddendus Mariæ ? 50.

D

D*Allæus Calviniſta Eccleſiæ Doctores contemnit . 69. & ſeq.*
Dallæi argumenta nihil probant . 71.
Sibi contradicit in lib. de uſu Patrum . 82.
Deus approbat Cultum , quem reddimus Sanctis . 42.
Deus adorandus in omnibus , non tamen omnia ſunt adoranda . 53.

Deus ,

Deus, etſi ubique ſit, in determinatis tamen locis exigit ſpecialem Cultum. 145.
Dei Amici aliquando per propheticum lumen vident, quæ procul ſunt. 153.
Dei immenſitas non coarctatur, reddendo Cultum in loco determinato. ibid.
Diem paſſionis Martyrum adnotari jubet Cyprianus. 85.
Dii Gentium nunquam vera Miracula patrarunt. 32.
Dii Gentium quales fuerint? 67.
Diſciplina Eccleſiæ aliquam poteſt ſubire variationem, & quare? 71.
Dorothæi Tirii Synopſis multis ſcatet erroribus. 76.
Dubia quædam coram Plebe non proponenda aliquando. 121. *& ſeq.*

E

Eccleſia Romana Cathedram habet Veritatis. 8.
Ejus Doctrina audienda. ibid.
Multum commendatur à Tertulliano. 9.
Eccleſia Romana Scripta Apoſtolorum Petri, & Pauli illibatè cuſtodit. 126.
Eccleſiæ Unitas per Cyprianum deſcripta. 194.
Eliſeus per lumen propheticum vidit, quæ in corde Giezi cogitabat. 156.
Ex hoc lumine Eliſeo donato, rectè intulit Auguſtinus, Beatos cognoſcere, quando illos deprecamur. ibid.
Ad Eliſei Sepulchrum Miracula ſuſcitantur. 27.
Eloquia Sacra ſalubria ſunt intelligentibus, periculoſa autem his, qui ad Cordis perverſitatem detorquentur. 7.
Eminentia Sanctitatis, & Virtutis deſideratur ad reddendum Cultum Sacrum. 54.
Epiſtolæ Canonicæ S. Judæ Apoſtoli textus, non favet hæreticis. 65.
Quomodo explicetur à Patribus. ibid.
Eraſmus quid dixerit de Lutheranis? 33.
Ethnici vera Miracula Magicæ Arti tribuebant. 31.
Idem faciunt moderni hæretici. ibid.

Ethni-

Digitized by Google

Ethnici ad Sepulchra Parentum deferebant cibos, & vina. 91.
Credebant Animas Parentum requirere cibos. ibid.
Euchariſtiæ Sacramentum eſt adorandum, quamvis non habeamus certitudinem metaphyſicam, quod hoſtia in particulari, ſit ritè conſecrata. 118.
Euchariſtia, pignus amoris Chriſti erga nos. 118.
Eunuchus Candacis Reginæ venit Jeroſolymam adorare. 138.

F

FActa purè perſonalia, quæ Juris admixtionem non patiuntur, certitudinem gradualem poſſunt habere. 116.
Factum S. Martini relatum à Severo Sulpitio, non favet hæreticis. 121.
Nec aliis indevotis hominibus. ibid.
Nec aliud ex Cap. Audivimus. *ibi.*
Fagnanus meritò rejicit quamdam Auctoritatem, quæ perperam tribuitur Auguſtino. 122. *& ſeq.*
Fides omninò invariabilis. 71.
Fidei Catholicæ Veritati non derogat, ſi Epiſcopus, ſi Virgo, ſi Doctor lapſus fuerit è regula. 149.
Fiducia reſpicit primariò Deum, Sanctos verò, ut cauſas ſecundas. 106.
Quæ fiducia in homine repoſita, per Scripturas reprobetur? 107.
Fraudes innumeræ finguntur ab hæreticis contra Cultum Sacrarum Reliquiarum. 120. *& ſeq.*
Fraudes, quamvis plures ſint, non eſt ſubtrahendus Cultus Sacris Reliquiis. ibid.

G

GAlli primi inſurgunt contra hæreſim Vigilantianam. 129.
Galli mittunt Siſinnium ad Sanctum Hieronymum in Cauſa Vigilantii. 46.

Digitized by Google

Græci conveniunt cum Latinis in Cultu Sacrarum Reliquiarum. 74. *& ſeq.*
Gradus certitudinis ſummæ, in quibus requiratur. 116.
Gratiam, & Gloriam à ſolo Domino expectamus. 105. *& ſeq.*
Ad Sanctos tamen recurrimus, ut impetrent à Deo. ibid.
S. Gregorius Nanzianzenus noſtras Sanctos cognoſcere preces, aſſeruit. 186. *& ſeq.*

H

HÆretici moderni eadem dicunt contra Sanctos Martyres, quæ antiqui Ariani. 36.
Hæreticus ſequitur propriam electionem. 133.
Hæretici non habent ſecuritatem Doctrinæ. 170.
Hebræi proni ad Idololatriam. 61.
Cur illis Deus occultaverit Corpus Moyſis. ibid.
Reprehenduntur ut hypocritæ à Chriſto. 63.
Helena Conſtantini Mater acceſſit Golgotham, ut Lignum Crucis inveniret, & adoraret. 75.
Henricus Gravius dubitat, an Vigilantius, qui recenſetur à Hieronymo in Epiſtola ad Paulinum, ſit idem, qui ab eodem Doctore fortiter impugnatur. 131.
S. Hieronymus vanum Vigilantii timorem expellit. 21.
Plures Translationes Sacrarum Reliquiarum narrat ab Imperatoribus factas. ibid.
Vigilantii argumentis abundè reſpondet. 31.
Unius noctis ſpatio hæreſim Vigilantii confutavit. 129.
In Hiſtoriis Ethnicorum, ſi quid mirabile perlegatur, quomodo ſit intelligendum. 26.
Hoſtia adoratur abſolutè, referendo fidem ad hoſtiam ritè conſecratam. 119.

I

JAcobi Patriarchæ Corpus, religioſo honore defertur in Terram Chanaan. 18.
Jacob invocat Abraham, & Iſaac. 112.
Jacobi Piccinini hæreſes refelluntur. 124. *& ſeq.*

Digitized by Google

Calumnia Piccinini in Sacram Jeſuitarum Familiam, rejicitur. 147. & *ſeq.*
Jacobus Piccininus excuſat Vigilantium. 127.
Jeremias Conſtantinopolitanus Schiſmaticus, redarguit Calviniſtas. 78.
Imperium ſtrictè ſumptum, exercetur erga ſubditos. 168.
S. Joannes Chryſoſtomus longè diſtat ab erroribus Calviniſtarum. 19.
S. Joannes Chryſoſtomus magno deſiderio tenebatur viſitandi locum ubi aſſervantur Corpora Apoſtolorum Petri, & Pauli. 140.
Job orat pro Amicis, & exauditur. 107. & *ſeq.*
Jonas Aurelianenſis mirè explicat, quomodo Deus eligat ſibi ſpecialem locum ad Cultum. 146.
Julittæ Martyris interceſſione, aquæ ſalſæ mutantur in dulces. 29.

L

Labia Judæ, quæ habuerunt contactum ad Chriſtum, cur non adorentur? 49.
Lampades ardere poſſunt apud Martyrum Memorias abſque timore Idololatriæ. 99. & *ſeq.*
Hic mos in Paleſtina, tempore Hieronymi, fortè non erat. *ibid.*
Laodicena Synodus vetuit Agapen fieri in Eccleſiis. 90.
Latriæ Cultus reſpectivus, cur non debeatur rationali Creaturæ. 50.
Levitas hæreticorum monſtratur. 188.
Alii ſunt limites humanarum rerum: alia Divinarum ſigna Virtutum. 181.
Loca Sacra adire, in quibus Miracula fiunt, eſt Dei laudare Potentiam. 147.
Ludi Gentilium, alii Sacri, alii Funebres. 93.
Luminarium apparatus apud Martyrum Sepulchra, cedit in honorem Dei. 101.
Iſte major apparatus non exaltat ſervos ſupra Dominum. *ibid.*

Digitized by Google

Luminis Prophetici efficacia declaratur. 155.
Non eſt tamen tanta, quanta eſt luminis Gloriæ. ibid.
Lutherus carpit omnes Eccleſiæ Patres. 37.
Lutherus fruſtra tentavit liberare Demoniacam. 33.
Lutherus novemdecim Scripturæ loca apertè adulteravit. 125.

M

MAria, Domini Mater invocanda. 162.
Maria habuit Scientiam Legis, & Prophetarum Vaticinia cognovit. 162.
Cognoſcit preces noſtras. 163. & ſeq.
Quo ſenſu dixerint SS. Petrus Damiani, & Germanus, quod Maria imperet Deo? 168. & ſeq.
Melania cum Ruffino excipiebant eos, qui Voti cauſa Jeroſolymam veniebant. 140.
Miracula Deus operatur in confirmationem Fidei. 25.
Miracula nunquam adhibentur ad comprobandam falſitatem. 26.
Miracula Antichriſti fictitia erunt. ibid.
Miraculoſa non fuit illuminatio Cæci, quæ refertur facta à Veſpaſiano. ibidem.
Miraculum S. Julittæ Martyris ex Sancto Baſilio refertur. 29.
Miſſæ Sacrificium eſt expiativum peccatorum, rememorativum Paſſionis Chriſti, & gratiarum actionis. 102.
Monica Auguſtini Mater ab Ambroſio didicit gratiora munera offerre Sanctis Martyribus. 92.
Monica non erat ſemper præſens Auguſtino, quando &c. 151.
Quomodo intelligatur, quod ſcriptum eſt: Mortui nihil noverunt amplius. 177.
Mortui non ſunt naturaliter præſentes actibus Vivorum. 182.
Mortui quomodo cognoſcant quæ apud Vivos geruntur. 183.
Triplex modus aſſignatur ab Auguſtino. ibid.
Motivum Cultus Sacri, quale ſit. 54.
Multa utiliter ſcimus, & multa utiliter ignoramus. 186.

Nan-

Digitized by Google

N

Nanzianzenus non benè exponitur ab hæreticis. 186.
Neſcire, quomodo aliquando in Sacris Scripturis intelligatur. 178.
Neſtorius diviſit Chriſtum. 190.
Nicena Synodus ſecunda œcumenica eſt. 24.
Statuit pœnam his, qui auſi fuerint conſecrare Templa abſque Sacris Reliquiis. ibid.
Nomina Duliæ, & Hiperduliæ, licet non inveniantur in Scripturis, rectè adhibentur à Theologis. 42.
Nomina nova Patres adinvenerunt ad confutandas novas hæreſes. 43. & ſeq.
Nomen mutarunt novi hæretici, quia Fidem mutarunt. 193.
Nundinationes ad Martyrum Sepulchra celebrari vetat S. Baſilius. 144.

O

Obedire, quid ſtrictè importet. 168.
Occultare Martyrum Corpora, frequens fuit primis temporibus, & quare. 73.
Operari bonum debemus in hac vita, & quare. 177.
Opuſculum Pauli Segnerii contra incredulos, diſplicet modernis hæreticis. 147.
Orare, & odorare differunt inter ſe. 48.
Plura ſunt, quæ adorantur, & non rogantur. ibidem.
Orabant antiquitus utriuſque ſexus Fideles in Cœmeteriis Martyrum. 99.
Hunc modum orandi, quare prohibuerint Illiberitani Patres. ibid.
Oratio aliter porrigitur Deo, aliter Sanctis. 52.
Origenes intermiſit ſtudiorum occupationem, ut videret Eccleſiam Romanam. 140.
Ornatus Templorum commendatur à Sacris Litteris. 55. & ſeq.

Or-

Digitized by Google

Ornatus Templi S. Felicis Nolani deſcribitur à S. Paulino . 99. & *ſeq.*
Oſſa Joſeph ſecum tulit Moyſes . 18.

P

PAtres *Chalcedonenſes recurrunt ad Sanctum Flavianum* . 51.
Patres Aurelianenſes ſtatuunt Rogationes ante Aſcenſum Domini . 52.
Patres trium ſæculorum Chriſtianorum non ſunt contrarii nobis . 69. & *ſeq.*
Patres, tempore perſecutionis, multa omiſerunt prudenter, quæ tempore Pacis à nobis ſanctè fiunt . *ibid.*
Patres, aliqua Fidei noſtræ Dogmata reticuerunt Ethnicis, & *quare* . 86.
Patres in Lymbo, quamvis non eſſent in tenebris Gratiæ, & *Charitatis, erant tamen in tenebris Gloriæ* . 179.
Abſque ſpeciali lumine non poterant cognoſcere quid in Mundo ageretur . *ibid.*
Particula Si *non eſt ſemper indicium animi dubitantis* . 186.
Paula Romana loca Dominicæ Paſſionis, & *duodecim Prophetarum Sepulchra viſitavit* . 27.
Peregrinandi multiplex modus deſcribitur . 137.
Peregrinationes ad Loca Sacra, tam in veteri, quam in nova Lege commendantur . 137. & *ſeq.*
Peregrinatio Elcanæ, & *Annæ ad Templum* . *ibid.*
Peregrinantibus ad Loca Sancta, Chriſtus Dominus exemplum præbuit . 138.
Peregrinatio ad Hieruſalem, collaudatur à Hieronymo, & *Ruffino* . 139.
Aliorum Patrum ſententiæ de Sacris Pregrinationibus, referuntur . 140.
Peregrinantium numerus ad S. Hippoliti Templum recenſetur ex Prudentio . 141.
Peregrinatio, ut proficiat, quomodo aſſumenda . 144.
Multa bona ſequuntur ex Sacris Peregrinationibus . 147.
Phaſe non immolabatur in qualibet Urbe . 136. & *ſeq.*

Pro-

Digitized by Google

Prophetæ , quare tam ardenter deſideraverint adventum Redemptoris . 178.
Pſeudo-Monachi circuibant tempore Auguſtini cum falſis Reliquiis . 115.

Q

QUadraginta Martyrum Reliquiæ tempore Pulcheriæ Auguſtæ inventæ . 77.
Quæſtio , an Sancti cognoſcant preces noſtras , difficilis viſa fuit Auguſtino . 157.
Non fuit tamen dubius Auguſtinus de ſubſtantia , ſed de modo cognitionis . ibid.
Quæſtiones multæ non proſunt . 120.

R

REliquiarum Cultum approbat Ruffinus Aquilejenſis . 23.
Reliquiæ Martyris Babilæ mutum reddunt Apollinem Daphnæum . 77.
Reliquiæ S. Simeonis , loco muri , & muniminis fuerunt Civitati Antiochenæ . 78.
Reliquiæ S. Euphemiæ projiciuntur in Mare ſub Copronymo , & mirabiliter ad ſuum locum revertuntur . 79.
Reliquias Sanctorum non orant Catholici . 105.
Reliquiarum Sanctarum mercimonium deteſtabile . 109. *& ſeq.*
Quando reddatur licitum offerre pretium pro Sacris Reliquiis . 110.
Reſpublica qualibet benè ordinata, decernit præmia pro bonis , pœnas verò pro malis hominibus . 12.
Reverentia ſervanda eſt Patribus noſtris . 86.
Rex Joſias ad Sepulchrum colligitur , ne videret mala , quæ inducturus erat Dominus . 151.
Ex hoc facto non infertur, Sanctos non audire preces noſtras . 180.
Roma collaudatur à Joanne Chryſoſtomo propter Corpora SS. Pe-

SS. Petri, & Pauli, quæ poſſidet. 19.
Romanarum Mulierum pietas in alendis pauperibus, ſepeliendiſque Martyrum Cadaveribus. 73.

S

Sacerdotes ſolius Dei ſunt, non Sanctorum. 104. & *ſeq.*
Sacerdotes varios, juxta pluralitatem Deorum, quos colebant, Ethnici habuere. ibid.
Sacramenta, ſanctè ſunt adminiſtranda. 110.
Sacram Scripturam, quomodo recipiant hæretici. 2.
Sacrarum Scripturarum Canon ab Eccleſia Catholica recipiendus. 9.
Iſte Canon non recipitur integer à Luthero-calviniſtis. 2.
Sacrarum Scripturarum Canonem, adjectionibus, & detractionibus ad diſpoſitionem Inſtituti ſui commaculant Novatores. ibid.
Sacrarum Scripturarum intelligentiam, Catholica Eccleſia poſſidet. 7.
Sacrarum Scripturarum teſtimonium, Satanas aliquando aſſumit. 189.
Transfigurat ſe in Angelum lucis. ibid.
Sicut Diabolo non eſt credendum, ſic nec hæreticis. ibid.
Sacrarum Scripturarum, quare teſtimonium aſſumunt hæretici. ibid.
Sacrarum Scripturarum poſſeſſio penes illos non eſt. 190.
Sacrarum Scripturarum Veritas, eſt ubi invenitur Veritas Fidei, & Diſciplinæ. ibid.
Sacræ Scripturæ textus Lutherus adulteravit. 125.
Sacrificium ſoli Deo redditur. 57. & *ſeq.*
Sacrificium nonnulli putabant ebrietatem eſſe, quos juremeritò redarguit S. Ambroſius. 90.
Sacrificia non erant Martyribus oblata, quæ deferebantur à Fidelibus ad Martyrum Sepulchra. 91.
Nunquam in Sacrificio dicitur, offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane. 95.
Salmanticenſes Carmelitæ. 119.
Samuel ducitur à Parentibus ad Domum Domini in Silo. 137.

S. Samuelis oſſa à Paleſtina in Traciam ſolemniter transferuntur ab Arcadio Imperatore. 22.
Sanctis porrigimus Orationes, non ut per eos Deus, noſtras petitiones cognoſcat, ſed ut eorum precibus, & meritis Orationes noſtræ ſortiantur effectum. 52.
Sancti orant in Cœlis pro nobis. 51. *& ſeq.*
Cognoſcunt petitiones noſtras. 187. *& ſeq.*
Audiunt nos orantes. 154. *& ſeq.*
Sancti non cognoſcunt quid agatur in Terris ex vi cognitionis humanæ, ſed ex irradiatione luminis Divini. 179.
Sanctos non ut Dominos, ſed ut Servos Domini veneramur. 41.
Scribere Chriſtianiùs qui dicuntur. 40.
Scripta Patrum trium ſæculorum indicant licitum Cultum Sanctarum Reliquiarum. 84.
Sententia Cypriani terribilis contra modernos hæreticos. 194.
Signa honoris Sacri, non ad placitum ſæcularium hominum inſtituenda. 100.
Signa Cultus aliquando communia Deo, & Sanctis. 102.
Signa communia determinationem accipiunt ex perſona cui redduntur. *ibid.*
Smirnenſis Eccleſia quanti æſtimavit oſſa Polycarpi. 19.
Spei Theologicæ objectum, ex Sancto Thoma proponitur. 105. *& ſeq.*
Spes non fertur primariò in Sanctos. 106.
Sponſa Chriſti, eſt Catholica Eccleſia. 192.
Sponſæ Judicio debet ſtare Filius, qui vult dici Catholicus. *ibid.*
Status Beatitudinis eſt excluſivus cujuſcumque mali. 181.
Superſtitio deteſtabilis fuit quorumdam, ut ſuper Tumulos Defunctorum Cibos, & Vina conferrent, quaſi egreſſæ de Corporibus Animæ, Cibos requirerent. 91.
Synodus Cabillonenſis non reprobat Sacras Peregrinationes. 142. *& ſeq.*

T

T*Emplum Dei per hæreticos violatur*. 14.
Templum Salomonis ædificatum fuit in copia multa auri, & argenti. 55.
Plura Talenta auri præparavit David pro ſtructura ejuſdem Templi. ibid.
Machabei primum, quod excogitarunt, conceſſa Pace, fuit mundare Sancta, & renovare, & ornare faciem Templi. ibid.
Dominus approbavit factum David, Salomonis, & Machabeorum. 56.
Templa expoliando Novatores, non dotarunt Virgines, aut alia majoris momenti Opera fecerunt. ibid.
Templa multa deſtructa per modernos hæreticos. ibid.
Templorum multiplicitas valde utilis. 57.
In Templis noſtris, quid peragatur oſtenditur. ibid.
In Templis noſtris, ſi devotio non ſplendeat, ut abuſus reprehenditur. ibid.
Non deficiunt Sacerdotes zelantes decorem Domus Dei. ibidem.
Per ædificationem Templorum reparatur bonor Dei, qui fuit ſublatus ab hæreticis per deſtructionem. ibid.
Templa ſoli Deo eriguntur ex Auguſtino. 103. & ſeq.
Templa, quamvis ſub titulo alicujus Sancti ſint, ſolius Dei tamen eſſe dicuntur. ibid.
Tertulliani conſilium amplectendum eſt in confutatione hæreticorum noſtrorum temporum. 2.
Tertullianus revocat hæreticos ad Auctoritatem Eccleſiæ Romanæ. 9.
Quid dixerit, & quid docuerit, ſtatuit eſſe credendum. ibid.
Tertulliani ſententia perſtringuntur hæretici moderni. 170.
Quales Teſtes ſuæ Reſurrectionis Chriſtus adhibuerit. 176.
Teſtes Dominicæ Reſurrectionis ſpectra non erant. ibid.
Thomas Valdenſis Theologus præſtantiſſimus. 48.

Tobiæ

Tobiæ opera bona, innotuerunt Angelo Rafaeli. 160
Traditiones Divinæ immeritò rejiciuntur ab hæreticis noſtrorum temporum. 7.
Tridentinæ Synodi decretis ſtandum eſt in approbatione Reliquiarum. 121.

V

Veſtis Deiparæ è Paleſtina Conſtantinopolim transfertur. 79.
Veſtis ovium quæ ſit. 188.
Vigilantius fuit hæreticus, quamvis ignoraret Auguſtinus. 129.
Vigilantius, quare non fuerit relatus inter hæreticos ab Auguſtino in libro ad Quodvultdeum. ibid.
Vigilantius propter litteras commendatitias Paulini humaniter recipitur à Hieronymo. 131. *& ſeq.*
Vigilantius quare Sanctus appellatur à Hieronymo in Epiſt. ad Paulinum. 132.
Vigilantius nudus orabat. 133.
Vigilantius nunquam fuit ejuſdem ſententiæ cum Hieronymo. 135.
Vigilantius hæreſim melle Scripturarum temperavit. 190.
Vincentius Lyrinenſis quam graviter redarguat Fidem deſerentes. 196.
Virgo Deipara. Vide *Maria.*
Viventes licet peccatis coinquinati, poſſunt reconciliationis gratiam obtinere. 177.
Umbra Petri ſanabat Ægrotos. 28.
Umbraculum Divinorum Eloquiorum non excuſat hæreticos. 189.
Unitas Fidei neceſſaria eſt ad ſalutem. 193.
Hæc Unitas mirè explicatur à Cypriano. ibid.
Urbs Venetiarum, erga Martyrum, & aliorum Sanctorum Reliquias devota. 110.
Wenceslaus à S. Elia Carmelita Excalceatus Proteſtantibus viam ſalutis æternæ demonſtrat. 8.
Witcleph bellum indixit Reliquiis Sanctorum. 47.

Ejus errores referuntur . ibidem .
Witcleph fuit Prodromus Lutheri , & Calvini . ibidem .
Concludendi Leges ignoravit . 48.
Dixit eſſe idem orare , & adorare . ibid.
Ut hypocriſim damnavit ornare Sepulchra Sanctorum . 47.
Ex Oratione Dominica , in qua nulla fit mentio Sanctorum , malè infert nullum Cultum Sanctis exhibendum eſſe . ibidem .

Z

Zelus hæreticorum deſcribitur . 55.
Zelus Judæ proditoris , qualis fuerit . ibidem .

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS

Digitized by Google

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
Pag. 9.	*lin.* 15.	*Videamat*	*Videamus*
27.	1.	ejiciſſe	ejeciſſe
28.	3.	nanque	namque
30.	18.	ſiſtula	fiſtula
33.	2.	fidem	fide
35.	6.	*odere*	*odiſſe*
	31.	fibriam	fimbriam
36.	19.	fuit	fuerit
	26.	inſultius	inſulſius
37.	33.	illis	illo
38.	4.	abundas	abundans
48.	24.	habetes	hebetes
	24.	& dijudicemus	ut dijudicemus
50.	26.	dignam	digna
51.	9.	Origines	Origenes
53.	15.	ſermonem	ſermone
	31.	at non	an non
55.	13.	Iſcariotas	Iſcariotes
57.	10.	commitant	committant
62.	31.	Myſem	Moyſem
69.	19.	qublica	publica
79.	26.	Bixantium	Byzantium
92.	3.	rececenſitis	recenſitis
104.	23.	noſtras	noſtræ
116.	27.	docentem	docente
127.	31.	hæreſeos	hæreſes
145.	25.	extendere	oſtendere
184.	12.	deſtruiſſe	deſtruxiſſe
195.	14.	tantam	tantum

IN INDICE

	Errata	Corrige
litt. B.	*in ordinem*	*in ordine*
litt. E.	*qui ad cordis*	*ſi ad cordis*

Hæc ſunt, quæ, prætermiſſis virgulis, colis, aliiſque ſimilibus, in quibus frequentius lapſus eſſe ſolet, emendanda ſignavimus: cætera pro tua benignitate emenda.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-2

Digitized by Google